UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ Principia Et Usum

De iudiciis criminalibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1766

Sectio II. De Judicio Criminali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-68185

Visual Library



SECTIO II.

DE JUDICIO CRIMINALI ECCLESIASTICO.

TIT. I.

DE JUDICE ET FORO CAUSARUM CRIMINALIUM.

Conf. Decretal. Lib. II. Tit. 2.

§. 1.

JUDICIUM *Criminale* dicitur, in quo de Criminibus agitur ad commodum publicum, ſive ſit imponenda pœna corporis ad publicam vindictam, ſive pœna pecuniaria ex delicto, applicanda Fiſco. Quando autem agitur ad commodum privatum, erit Judicium Civile, etiamſi cauſa deſcendat ex Delicto. Unde Judex, cui generaliter cauſæ civiles committuntur judicandæ, non accipit poteſtatem *Judicium Criminale*

ſtatem judicandi ſuper criminibus, pro omni caſu, quo exigitur pœna pecuniaria, aut alia non afflictiva corporis, ſed ſolum pro caſu, quo ejusmodi pœnæ exiguntur ad privatam utilitatem.

Fori ſeculariſ, §. 2. Judicia Criminalia juxta Leges Civiles, alia ſunt *Capitalia*, ubi pœna infligenda eſt Mors aut Exilium, hoc eſt, aquæ & ignis interdictio, per quas pœnas eximitur *Caput* de Civitate; nam in Relegatione retinetur Civitas: alia *non capitalia*, ubi *pecuniaria, aut in corpus aliqua coërcitio pœna eſt* 1.).

Et Eccleſiaſtici. §. 3. In foro Juris Canonici, arcentur Judices Eccleſiaſtici a cauſa ſanguinis, ubi mors corporalis, vel mutilatio infligitur: his tamen reſpondet Excommunicatio, vel Degradatio, poſt quam traditur Clericus Judici ſeculari, ut ab ipſo juxta leges puniatur. Damnationi in metallum, vel opus publicum, & Deportationi, quibus modis juxta Jus Civile perditur civitas & libertas, in Jure Canonico reſpondet pœna carceris, vel per plures annos, vel omnino in perpetuum.

1.) L. 2. ff. de publ. Judic.

petuum. Quando agitur de Criminibus, quibus ejusmodi pœna imponenda venit, Judicio *Capitali* agi dicitur. In Judicio Criminali *non Capitali*, ſuſpenditur Reus ab Officio aut Beneficio ; inuritur nota infamiæ ; amittitur dignitas ; prohibetur, ne quis in aliqua Eccleſia ordinetur, Ordines exerceat, ad Dignitatem promoveatur ; interdicitur ab ingreſſu Eccleſiæ &c.

§. 4. Leges, ad quarum normam Judicia Criminalia in foro ſeculari apud Germanos diriguntur, olim erant illi boni mores, qui juxta TACITUM 2.) *plus valebant in hoc populo, quam alibi bonæ leges.* Hi mores poſtea in Scripturam redacti ſunt, & exhibentur in Lege Salica, Ripuariorum, Alamannorum, Bajuvariorum, Burgundionum, Friſionum, Saxonum, adjectis demum Capitularibus Regum Francorum, quæ omnia complectitur *Corpus Juris Germanici antiqui*, recens editum. His cum ſtirpe Carolingica deficientibus, introductæ fuerunt perverſæ, & ſuperſtitioſæ conſuetudines pro dijudicandis criminibus. Melio-

Leges hujus Judicii pro foro Civili;

2.) De Morib. Germ. C. 19.

rem his Judiciis formam dedit seculo XIV. & XV. Jus Civile Romanum & Canonicum, in foro etiam seculari Germaniæ introductum. Demum pro lege publica universali publicavit Carolus V. Imperator Constitutionem Criminalem, in Comitiis Ratisbonensibus approbatam 3.), quæ tamen pro rei gravitate sufficere non videtur 4.). In variis igitur Provinciis editæ sunt peculiares Leges Criminales, quas ibidem sequi oportet. In Austria observatur Constitutio Criminalis Josephi I., in Bavaria Codex Criminalis Maximiliani Josephi. His deficientibus, recurritur ad Constitutionem Carolinam, vel demum etiam ad Leges Romanas.

Pro foro Militari: §. 5. Singularia quædam habet Judicium Criminale militum. Horum *delicta aut propria sunt, aut cum ceteris communia: unde & persecutio aut propria aut communis est: proprium militare est delictum, quod quis uti miles admittit* 5.). Delicta militum cum ceteris communia

3.) Anno 1532. tit. 4.

4.) Commentarium in hanc Constitutionem ediderunt Paulus Kressius, Matthias Stephani, aliique.

5.) L. 2. pr. ff. de re militari.

nia puniuntur juxta dictas leges aliis communes. Delicta militum propria, eorumque pœnæ continentur partim in Jure Romano 6.); partim in aliis recentioribus Imperii, Imperatorum & aliorum Principum Constitutionibus militaribus 7.). An autem Miles ob delictum commune sortiatur forum in loco delicti, ibique puniri possit, contraria habemus præjudicia, & collisiones Magistratuum frequentes.

§. 6. Pro foro Ecclesiastico, ad emendandos ac puniendos peccatores incorrigibiles ac scandalosos tradit quasdam leges ipse Divinus Servator noster in Evangelio 8.), quas sequuntur Apostoli, tradendo hujusmodi criminosos Satanæ in interitum car- *Pro foro Ecclesiastico.*

6.) in Pandect. & Codice, dicto titulo, ex quo & aliis Titulis Leges pertinentes ad Milites colligit D. Myller de Freyburg in Jurisprudentia Criminali &c.

7.) Omnes has tribus tomis comprehendit Lunig sub tit. *Corpus Juris militaris.* multum usum habent articuli Leopoldi Imp. quos Commentario illlustravit dictus D. Myller.

8.) *Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Matth. XVIII. 17.

nis 9.); exhibendo se paratos æque ad clementiam, ac ad vindictam sumendam pro meritis 10.). Leges Mosaicæ, quæ exacte instruunt Judicem fori criminalis, pro populo Israelitico latæ sunt, nec ad nos pertinent, nisi quas Ecclesia inter suos Canones recenset 11.): hos autem Canones pro varia temporum, locorumque diversitate, sapientissime sanxerunt Ecclesiæ Præsules, præsertim in legitima Synodo congregati. Plures eorum collectiones tenemus sub nomine Canonum Pœnitentialium, vel in Decreto GRATIANI, aut in Pontificum Decretalibus, quas pro instruendo Processu Criminali adeo aptas & æquitati conformes habemus, ut etiam Tribunalia secularia modum procedendi ex iis hauriant & sequantur.

Forum debet esse competens.

§. 7. Harum Legum auctoritas conservari debet severa executione per Judicem in Foro competente: Judex autem pollere debet Jurisdictione Criminali, quæ est potestas publica pro

9.) 1. Corinth. V. 5.

10.) *Quid vultis, veniam ad vos in virga, an in spiritu charitatis & mansuetudinis?* 1. Cor. IV. 21.

11.) C. 1. de adulter.

pro imperio de criminibus rite cognoscendi, pœnasque legitimas sumendi, ad salutem publicam conservandam 12.). Forum competens erit habita ratione personarum & causarum. Inter modos ordinarios fortiendi Forum, etiam Crimen posuimus 13.), cum quo foro concurrere diximus Forum domicilii, & juxta communem praxin etiam forum deprehensionis.

§. 8. Circa causas secularium, Jurisdictionis Criminalis facies cum ipsa Reipublicæ Germanicæ forma sæpe mutata est. Instituto nostro non convenit, ut longa disquisitione de antiquis Comitibus, Palatinis, Missis Regiis, qui Judiciis criminalibus præsidebant, chartam impleamus. Jurisdictio generatim accepta, solet dividi in *Altam* & *Bassam* seu inferiorem. Alta involvit *Criminalem*: per Bassam vero intelligitur *Civilis*. Hæc tamen

Quale sit hodie circa causas Secularium?

12.) *Merum est imperium, habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur.* L. 3. ff. de Jurisdict. hodie dicitur Jurisdictio Criminalis. Mevius p. 6. decis. 252.

13.) Sect. I. §. 85.

ex ſpeciali conceſſione, ſtatuto, aut etiam conſuetudine, in plurimis locis ſe extendit ad delicta leviora, eorumque coercitionem, vel etiam ad capiendam informationem de Criminibus majoribus 14). Quænam autem nominatim delicta, & quæ pœnæ huic Jurisdictioni baſſæ competant, ex literis conceſſionis, ex pactis vel uſu deſumimus 15.). Jurisdictio Criminalis dividitur in *univerſalem*, plenam, ſive omnigenam, quæ ad omnium delictorum omnimodam animadverſionem & cognitionem ſe extendit: & in *particularem* & minus plenam, quæ *Centena* dicitur, ad aliquas ſpecies graviorum delictorum reſtrictam, in alieno etiam territorio ex pacto, vel conſuetudine exercendam; talia

14.) Vid. ERTEL prax. aur. de Jurisd. inf. lib. 1. c. 1. HENR. HILDEBRAND de Jurisdict. univerſa ſecundum mores hodiernos c. 6. & 7.

15.) In Bavaria Dux OTTO multis Nobilibus & Eccleſiis Jurisdictionem minorem, exceptis Capitalibus, magno ære diſtraxit. Diploma hoc anno 1311. Landishuti datum, ejusque Confirmationes a ſequentibus Ducibus conceſſas recenſet LUNIG de Nobilit. mediat. Germ. part. 1. fol. 567. ſeqq.

talia delicta ſunt, homicidium, rapina, incendium & ſtuprum violentum. Diverſa tamen ſunt ſtatuta & conſuetudines locorum 16.). Hodie Jurisdictionem, uti civilem, ita & criminalem paſſim *Patrimonialem*, & in hæredes tranſeuntem eſſe deprehendimus, annexam ſcilicet territoriis, quæ Principes habent propria. Hi tamen ipſi eandem ſæpe concedunt Civitatibus, aut Nobilibus mediatis, tanquam fundi acceſſorium: quibus autem ratione officii hoc judicium incumbit, Jurisdictionem *Perſonalem* exercere dicuntur. Sive hæc Jurisdictio exerceatur a Dicaſterio ex pluribus perſonis conſtante, ſive ab uno Judice, notari meretur adhortatio CAROLI V. Imperatoris 17.), ut *Viri Nobiles non abhorreant a munere Judicis Criminalis, cum hæc Jurisdictionis pars ſit nobiliſſima, ubi agitur de membris & vita civium.*

§. 9. Si Jurisdictionem Cameræ Imperialis reſpiciamus, regula generalis eſt, quod Cauſæ Criminales, quæ ſecum *Jurisdictio Cameræ Imperialis:*

16.) Vid. SCHOTTELIUS de ſingularibus in Germ. juribus c. 7. WEHNERUS pract. obſerv. verb. ZENT. DE LYNCKER Deciſ. 662.

17.) Conſt. Crim. Art. 1.

cum ferunt pœnam corporalem, neque per viam ſimplicis querelæ, neque per appellationem in Camera recipiantur 18), niſi ratione nullitatis proceſſus, dummodo Judex Criminalis immediate Imperio ſubjectus ſit. Quamprimum autem ex Actis allegata nullitas apparet, cauſa principalis cum opportunis monitis ad eundem Judicem remittitur 19.). Unde licet judicium Arreſti, vel Pignorationis pertineat ad Jurisdictionem Cameræ; id tamen locum non habet, ſi cauſa Arreſti vel Pignorationis ſit Criminalis 20.). Ex eadem ratione in cauſa mulctæ pecuniariæ non datur Appellatio, ſi hæc mulcta ſucceſſit in locum pœnæ corporalis vel excommunicationis 21.). Exercet tamen Camera Imperialis Jurisdictionem Criminalem in perſonas Camerales 22.):

poſſet

18.) Ord. Cam. p. 2. tit. 28. §. 5. GAIL lib. 1. Obs. 1. n. 27.

19.) Vid. MEVIUS p. 2. decif. 272. & 322. Selecta Juris publ. p. 9. c. 2. & p. 10. c. 4.

20.) GAIL de Pignorat. c. 3. n. 11. DE LUDOLFF. de Jure Camer. fol. 59. & 74.

21.) Præjudicium refert DECKHERRUS ad Ord. Cam. p. 2. tit. 28. n. 50. ſeq.

22.) DE LUDOLFF de Jur. Cam. ſect. 1. §. 2. n. 11.

posset etiam aliquid decernere, si Reus sub Jurisdictione inter diversos dominos Imperio immediate subjectos litigiosa domicilium habeat, ne crimina maneant impunita 23.). Refertur tamen præjudicium 24.), ut Reus interim capiatur & sequestretur apud tertium, qui illum pro qualitate delicti puniri faciat. Si litigantes ipsi de hoc tertio inter se non conveniant, Camera ad implorationem partis læsæ aliquem deputare potest 25.). Competit etiam Cameræ Jurisdictio circa crimen fractæ Pacis publicæ.

§. 10. Causæ criminales Principum & Statuum Imperii, etiamsi delinquant in alieno territorio Principis, Jurisdictione criminali gaudentis, devolvi dicuntur in prima Instantia ad ipsum Imperatorem, scilicet ad Consilium Aulicum 26.). An hoc intelligendum sit de omnibus Nobilibus immediatis Imperii, controvertitur. Aula Cæsarea ejus-

Et Judicii Aulici Cæsarei.

23.) Blumen Proc. Cam. tit. 26. n. 23. Roding. Pandect. Cameral. l. 1. tit. 4. n. 30.

24.) Apud Gylman. Symphor. tom. 3. voc. Jurisdictio. §. ult. fol. 170.

25.) Ibid. fol. 169.

26.) Blumen Proc. Cam. tit. 27. n. 180. seq. ex Constit. Friderici II.

ejusmodi causas ad se vocat: Principes autem, saltem potentiores, in quorum territorio ejusmodi Nobilis deliquit, remissionem negare, ex multis præjudiciis colligimus 27.). Si tamen talis Reus ad Imperatorem remittatur, modum procedendi summorum Tribunalium in tali causa, discimus ex Conclusis Consilii Aulici Cæsarei Anno 1758. in puncto homicidii perpetrati a quodam Equestris Ordinis, contra quem Commissio Cæsarea decreta fuit ad Episcopum & *Principem Fuldensem pro Inquisitione speciali*, ejusque Actis ad Impartiales transmittendis, quorum responsum non referatum, sed clausum una cum Actis & Protocollis ad Augustissimum esset mittendum 28.).

In foro Ecclesiastico

§. 11. Pro Foro Ecclesiastico, Episcopos & Religiosorum Superiores esse legitimos Judices in Causis Criminalibus Clericorum, Religiosorum (salvis exemptionibus) imo etiam Laicorum in causis ad Ecclesiasticum forum pertinentibus, dubium non est. Isti enim tenentur subditorum excessus

27.) Vid. Clariss. D. Collega Sutor Elect. Jur. & fori. Concl. 74.

28.) Select. Jur. publ. part. 40. C. 6.

excessus emendare, & si opus sit, inflictis pœnis coercere, *cum publicæ utilitatis interſit, ne crimina remaneant impunita, & per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant, nequiores* 29.).

§. 12. Vicarii Generales Episcoporum non exercent Judicia criminalia, *niſi ſibi ſpecialiter hæc committantur* 30). Habita speciali commissione Vicarius, vel etiam ipse Episcopus, tam in formando Processu, quam in ceteris omnibus actibus usque ad finem causæ inclusive, procedere tenetur de consilio & assensu duorum, initio cujuslibet anni ex Capitulo electorum. In criminibus tamen ex incontinentia provenientibus, & in atrocioribus delictis, depositionem aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium eludatur, & ideo opus sit personali detentione, posset initio Episcopus solus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere 31.) In similibus casibus, ubi est periculum in mora, & ad evitandum majus scandalum,

Judices ordinarii

29.) C. 35. de Sent. Excom.
30.) C. 2. de Offic. Vicar. in 6.
31.) Conc. Trident. sess. 25. C. 6. de Reform.

dalum, posset etiam Judex secularis Clericum detinere, ad eum finem, ut *mox tradat Judici Ecclesiastico* 32.): non tamen posset de causa cognoscere, aut informationem capere, multo minus punire, nisi ejusmodi Clericus per realem degradationem omnibus Clericalibus privilegiis spoliatus, & seculari Magistratui sit traditus.

In Causis mixti fori;

§. 13. In causis mixti fori 33.), si crimen committitur contra Ecclesiam, posset Rector ejusdem reum, sub quo maluerit, Judice convenire, scilicet coram seculari vel Episcopo; quod in favorem Ecclesiæ est introductum, *quoniam seculares Judices in exhibenda Justitia personis Ecclesiasticis, sæpe in Judicio sunt remissi* 34.). Si autem Rectores Ecclesiarum in causis sui Juris per Laicos violati, promptam inveniant Justitiæ administrationem in tribunali seculari, opus non erit, ut Judex Ecclesiasticus Jurisdictionem suam exserat in causis, quæ ex sua natura ad forum seculare pertinent, uti

---

23.) Vid. Carol. de Grassis de Effect. Cleric. eff. 1. n. 535. seqq.

33.) De his dictum Sect. I. §. 96.

34.) C. 8. de For. Comp.

uti est furtum, rapina &c. 35.). Hodie in criminibus mixtis cognitio & pœna ita relinquuntur foro laico, ut tamen ordinario reservetur pœna Ecclesiastica, Censuræ declaratio & absolutio. Causæ graviores Criminales contra Episcopos, ab ipso tantum Romano Pontifice cognoscuntur & terminantur 36.).

§. 14. Sicut aliæ causæ criminales fori Ecclesiastici tractandæ sunt coram Ordinario loci, ita etiam ad eundem pertinet ordinaria cognitio causarum hæreticalium. Nihilominus hoc munus fuit postea, vel propter varias Episcoporum curas, vel propter eorum absentiam, aliasque causas, a summo Pontifice demandatum Inquisitoribus. Et quidem INNOCENTII IV. tempore committebatur Superioribus quorundam Ordinum Religiosorum, ut per districtus eis traditos providerent de Inquisitoribus. URBANUS IV. anno 1263. facultatem hanc transtulit in Cardinales, qui jam constituunt S. Congregationem supremæ Inquisitionis contra hæreticam pravitatem. *In Causa Hæresis.*

Hæc

35.) Vid. FERMOSINUS ad dict. C. 8.
36.) Conc. Trident. sess. 24. C. 3. de Reform.

Hæc congregatio nomine Pontificis alios Inquisitores eligit per Provincias, in quas mos iste inquirendi introductus est. In Hispania Rex Catholicus nominat Inquisitorem Generalem, a summo Pontifice approbandum. In Germania nostra semper obstiterunt impedimenta, quo minus erigeretur hoc tribunal Inquisitorum, qui delegatam habeant potestatem. Apud nos igitur viget ordinaria potestas Episcoporum contra hæreses 37.).

Et aliis quibusdam.

§. 15. In hoc tribunali, non obstantibus quibuscunque privilegiis & exemptionibus, proceditur contra impedientes Inquisitorem, vel in causas Inquisitionis se ingerentes: contra Sacerdotes in confessionali ad inhonestos actus solicitantes: contra celebrantes Missam, vel sacramentaliter confessionem audientes, qui ad Presbyteratum promoti non sunt; contra exercentes Astrologiam Judiciariam:

37.) De Inquisitorum origine, potestate & officio agunt Eymericus in Directorio Inquisitorum. Sigism. Scaccia de Judiciis lib. 1. C. 15. & 67. Franc. Pegna de forma procedendi contra inquisitos de hæresi. Vincent. Petra tom. 3. ad Const. I. & XVI. Innocentii IV.

ciariam : contra Italos commorantes in locis , in quibus publicus Cultus Religionis Catholicæ non exiſtit ; & viciſſim contra hæreticos , qui morantur in Italia & Inſulis adjacentibus ; contra aſſerentes , B. Mariam Virginem conceptam eſſe in peccato originali : contra eos , qui aliquid faciunt , quod pertinere videtur ad cultum publicum nondum a Sede Apoſtolica Canonizatorum , vel Beatificatorum : contra edentes libros ſine licentia &c. 38.).

§. 16. Superiores Regulares noſſe debent limites poteſtatis ſuæ. In pleriſque Religioſorum Ordinibus, quorum Congregationes non uno tantum cœnobio continentur, ſed in plura domicilia ſub eodem capite dividuntur, Judicium Criminale eſt penes Superiores Generales aut Provinciales, non autem penes locales , niſi ipſis ſpecialiter cauſa delegetur. Regularis extra clauſtra cum ſcandalo populi delinquens , inſtante Epiſcopo puni- *In Cauſis Religioſorum.*

38.) Legatur Decretum in Generali Congregatione S. Inquiſitionis ſub URBANO VIII. editum.

tur ſevere a Superiore; in hujus defectu ab ipſo Epiſcopo 39.).

Prælati Eccleſiæ poſſunt habere familiam armatam,

§. 17. Pro commodiore Jurisdictionis ſuæ executione poteſt Epiſcopus habere familiam armatam, ſcilicet proprios miniſtros & executores laicos, ac etiam carceres, quia in ſua Diœceſi habet imperium, vi cujus delinquentes in illa poteſt punire, non ſolum Clericos, ſed etiam Laicos ob crimina fori Eccleſiaſtici 40.). Nec ſcrupulo angatur Epiſcopus, ſi Clericos capi & incarcerari jubeat per miniſtros laicos: hæc enim conſuetudine univerſali jam licere cenſentur, etſi nonnulli contradicant 41.): decentius enim Laicorum opera adhibetur, quam ut Clerici agant miniſtros criminales. Cum autem Epiſcopi noſtræ Germaniæ, ſeculari etiam Jurisdictione in Ditionibus ſuis gaudeant, & ob hanc rationem diverſa Dicaſteria, partim ex Adſeſſoribus Clericis pro cauſis ſpiri-

39.) Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 14. de Regular. juncta Conſtitutione CLEMENTIS VIII. *Suſcepti muneris.* in Bullarii tom. 3. Conſt. 39.

40.) Vid. MARTA de Jurisdict. p. 2. c. 29. OLIVA de foro Eccl. p. 2. q. 1.

41.) CAR. DE GRASSIS cit. Effect. l. 2. n. 364. ſeqq.

spiritualibus, partim ex Laicis pro causis profanis erecta teneant, summopere cavendum est, ne ea, quæ Ecclesiasticæ sunt potestatis, discutiantur, tractentur, aut executioni dentur per Dicasteria secularia: sed utriusve fori negotia in competenti Tribunali agitentur.

§. 18. Sciendum autem, olim in Episcopatibus contrà subditos laicos jurisdictionem criminalem exercuisse Missos Regios, & Comites, autoritate Imperatoris aut Regis. Ab horum durissimo dominatu exemptionem multi Episcopi impetrarunt, & libertatem constituendi Ecclesiæ suæ Advocatum (Kastenvogt), cui præter alia etiam judicium criminale committebatur. Cum autem munus istud passim nobili cuidam familiæ tribueretur, & ad hæredes, potestate sua in perniciem Ecclesiæ abusuros transiret, noxiæ servituti se mancipatas sentiebant Ecclesiæ, conatæque sunt, omnimodam libertatem suam vel pecuniis redimere, vel quocunque alio modo jugum excutere, ita, ut Episcopi, multique Abbates Germaniæ Jus territoriale æquali cum aliis Principibus laicis ratione, liber-

Juxta hodierniminis formam.

rime exercuerint, constitutis ad suum beneplacitum Judicibus, Adsessoribus, ex solo Prælatorum nutu dependentibus, quam regiminis formam hodie retinent in ditionibus immediate Imperio subjectis 42.).

Legatorum exemptio a Jurisdictione criminali

§. 19. Quæ de singulari quorumdam foro dicta sunt in priori Sectione Tit. VIII., huc etiam pleraque applicari possunt. Pauca subnectenda veniunt de Exemptione Legatorum a foro criminali ejus, ad quem missi sunt. Diversæ Scriptorum opiniones inde originem suam trahunt, quod multi varias ideas de Jure Gentium, & de Charactere Personarum sibi forment. Hinc facile contingit, ut circa personas Legatorum contra Jus Gentium peccari aliqui credant, quod omnino licitum alii opinantur. Commode possunt considerari Gentes ut personæ morales, æquiparatæ personis individuis in statu naturali viventibus, adeo ut de pluribus Gentibus inter se idem dici possit, quod de singulis personis inter se considerâtis

42.) Legi meretur Schannat Histor. Episc. Wormat. tom. 1. p. 2. c. 1. & 2. ubi allegantur Diplomata referenda in tomo 2. ejusdem Histor.

ratis statuitur ex Jure Naturæ. Legatus autem est persona a Gente ad aliam missa, cum potestate omnia, quæ ipsa Gens ibi executura fuisset, nomine ipsius peragendi. Unde character repræsentativus Legati est ille, vi cujus pro eadem persona cum mittente respectu officii ipsi commissi est habendus. Sicut igitur una gens non dependet ab altera; ita etiam Legatus nec quoad personam, nec quoad actiones suas dependet a potestate imperantis in alteram Gentem, ad quam mittitur, modo sub charactere Legati admissus & receptus sit. Et in hoc consistit sanctitas, ac inviolabilitas personæ Legati, etiamsi intra fines territorii alieni degat, sicuti Gentes, vel earum Rectores ab invicem non dependerent, licet in unius potius, quam in alterius, vel neutrius regione, commoditatis gratia conveniant.

§. 20. Hinc sequitur, Legatos jure Gentium esse exemptos a Jurisdictione civili & criminali illius gentis, ad quam missi sunt, quia persona Legatorum respuit quamcunque dependentiam illius Gentis, ad quam mittuntur; manetque Legatus semper *Principis, ad quem missi sunt.*

subditus Principis mittentis, a cujus jurisdictione non eximitur per atrocia etiam crimina. Perfidiam & ferociam suam prodidit Theodahatus, cum diceret Legatis Justiniani, *licere Legatum occidere, qui Regem videbitur contumelia affeciſſe, vel cum aliena uxore rem habuiſſe* 43.). Peſſima hæc eſſet regula agendi cum Legatis. Nihilominus ſi per hæc crimina Princeps vel Respublica, ad quam Legatus miſſus eſt, adeo læditur, ut defenſioni ex jure naturæ locus ſit, ſanctitate ſua defendere ſe non poterit Legatus, ſaltem quando res tempusque, ut ad Principem recurratur, non permittet, vel ſpes ab illo pœnam debitam infligendam eſſe interierit. In his tamen circumſtantiis obſervandum ſummopere eſt, ut contra Legatum, etiam perduellionis aut proditionis reum, primus locus detur prudentiæ. Verendum enim eſt, ne Legatum, licet reum Majeſtatis, externæ Gentes præcipitatis ſtudiis condemnatum putent, ac proin non convictum, ſed oppreſſum ab illo, qui idem eſt accuſator, teſtis, cognitor

43.) Procopius de bello Gothorum lib. I.

gnitor & Judex. Universim notandum est, rem istam non solis exemplis, prout aliqui Scriptores præstare videntur, confici posse; sed potius ratione ex jure naturali ducta: sæpissime enim in hoc negotio peccatum esse, vix negari potest 44.).

Judicis Criminalis crimina

§. 21. Si unquam Judex ad normam Legum debeat procedere, id præcipua solicitudine tenetur observare in causis criminalibus, ubi de vita hominis agitur, in quam soli Creatori summa potestas competit. Summopere autem cavendum est, ne Judices, sive civiles, sive criminales causas tractent, seipsos criminali judicio subjiciant, præsertim si pecunia corrumpi se patiantur. Vocabulo barbaro, sed jam recepto vocatur *Barrataria*, & nummarium Judicium, quando Judex pecunia corruptus iniquam profert sententiam: & hujus quidem criminis se reum facit, quando a sponte pecuniam dante corrumpitur:

44.) Varia documenta in hanc rem exemplis illustrat Carolus Paschalius de Legato Cap. 74. seq. Clavel de Brenles Tract. de exempt. Legator &c.

pitur : qui autem pecuniam extorquet, *Concussionis* reus est 45.).

Severe puniuntur :

§. 22 Utrumque hoc crimen præter obligationem ad litis æstimationem, ad damna, expensas & interesse reficienda, etiam criminaliter puniri potest. De Jure Canonico Judex Ecclesiasticus, qui pretio, aut alias per sordes injustam tulerit sententiam, suspenditur ab executione officii per annum 46.). Leges Civiles pro variis circumstantiis sententiæ vel absolutoriæ, vel condemnatoriæ, diversas, semper tamen graves dictant pœnas, etiam mortis, si Judex accepta pecúnia innocentem interfecerit 47.). Porro non solum corrumpi censetur Judex pacto interveniente de re aliqua facienda, vel non facienda ad favorem alicujus, sed etiam quavis munerum receptione, quæ Judicibus & Officialibus severissime est prohibita 48.) : tenenturque

45.) Vid. Farinacius Rer. Crim. p. 3. q. III. art. 2.

46.) C. 1. §. si quis autem. de Sent. & re jud. in 6.

47.) L. 1. pr. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.

48.) L. plebisscito. ff. de Offic. Præsid. C. Statutum. de Rescript. in 6.

turque accipientes restituere, plerumque etiam ante sententiam Judicis 49.). Muneribus enim animos Judicum vehementer inclinari, experientia docet: Judices autem in neutram partem inclinari oportet. Unde apud Athenienses Areopagi Judices lege cautum fuit, ut qui causam dicit!, nec proœmio utatur, nec ad miserationem, aut invidiam adducat, nec alios affectus moveat, ne cui plus in misericordia, quam in causa spei esset 50.). Corrumpens Judicem, tenetur eadem pœna, qua tenetur Judex corruptus. Hoc tamen non procedit in capitaliter inquisito: conceditur enim unicuique sanguinem suum quacunque ratione redimere. Item non procedit, quando in dante pecuniam cessat turpitudo, ut puta, si eam dederit, ut justitiam consequatur, ut cito expediatur, ut conservet jus suum, ut se redimat a vexationibus; in his enim casibus data pecunia repeti posset.

49.) Passerinus in cit. C. statutum. §. 7. q. 5. art. 3. Farinac. loc. cit. art. 10.

50.) Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 3. C. 5.

Sicut etiam irreverentia in Judicem.

§. 23. Viciſſim ſumma debetur reverentia Judici pro tribunali ſedenti, qui mox punire poteſt irreverentiam ſibi factam. Gravis criminis reus aliquando apud Romanos habebatur, qui ad Cenſores advocatus, & in jure ſtans, nimis clare ac ſonore oſcitaverat: id enim vagi animi indicium eſſe cenſebant, & nimium ſecuri, dum quis coram Magiſtratu populi Romani ſtaret. Sed cum ille dejeraſſet, feciſſe invitiſſimum; teneri enim eo vitio, quod oſcedo appellatur; pœnæ deſtinatæ exemptus eſt 51.). In Areopago ridere non licebat. Cum ibi aliqua de Timarcho homine fædiſſimo dicerentur, riſum & plauſum excitavit populus in contemptum Timarchi: ſed Pyrrhander prodit, populum objurgaturus, an non puderet ridere, præſente Senatu Areopagitico? reſpondit populus: ſcimus Pyrrhander, coram his non eſſe ridendum: ſed res adeo fortis eſt veritas, ut omnes humanas cogitationes vincat 52.). Non abſimili ratione

ne

51.) Petrus Ærodius rer. judic. lib. 2. c. 21. Gellius lib. 4. c. 20.

52.) Æschines in Orat. in Timarch.

ne veniam merentur partes litigantes, si eas patientia deserat, quando cum maximo suo præjudicio deprehendunt Judicem, ultra officii sui limites alteri parti nimis deditum.

TITULUS II.

DE MODO PERTRAHENDI CRIMINA IN JUDICIUM.

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 1. & 2. *In Sext. Tit.* 1.

§. 24.

SICUT negotia Civilia constituunt materiam Judicii Civilis, ita Crimina sunt materia Judicii Criminalis: sub hac consideratione plenius infra de iis agetur. Nunc ad explicandam formam Judicii Criminalis, oportet recensere modos, quibus crimina in Judicium deducuntur. Jam insinuavimus, occasione criminis sæpe agi Judicio Civili ad resarciendum damnum, interesse, recuperandam rem suam &c. quæ tractatio non est hujus loci. *Crimina pertrahuntur in Judicium*

§. 25. Crimen, pro quo criminaliter ad publicam vindictam agi potest, & de quo nobis proprie sermo est, *nem* de- *Per Accusatio-*

defertur ad Judicem inprimis per *Accusationem*, quo nomine intelligitur Criminis alicujus apud Judicem competentem, vindictæ publicæ causa, inscriptione interveniente, legitime facta delatio. Accusans tenetur in libello se inscribere ad pœnam talionis 53.), id est, se obligare, si non probaverit, ad eandem pœnam, quam Reus deberet pati, si probasset Accusator. Hodie ejusmodi Accusationes publicæ a privatis non fiunt, & in multis locis sunt prohibitæ: sed Procurator Fisci ad id publico stipendio constitutus crimina persequitur, cui inscriptionis vinculum, & talionis periculum remittitur.

Per Denuntiationem voluntariam,

§. 26. Alter modus Crimen ad Judicem deferendi, est *Denuntiatio* 54.), &

53.) C. 16. de Accusat. Etiam S. Damasus Pontifex pœnam talionis constituit iis, qui alterum falsi criminis accusassent, prout legitur in Horis Canonicis pro festo S. Damasi die 11. Decemb. Lect. VI.

54.) D. Banniza de Process. Crim. c. 3. §. 1. cum Carpzovio & Böhmero censet, Denuntiationem non esse statuendam tanquam tertiam speciem; nos loquimur cum Pontifice in C. 24. De Accusat. & C. 31. de Simon. ac cum

& quidem pro foro Canonico, non illa Evangelica & fraterna, qua crimen denuntiatur Superiori Ecclesiastico tanquam Patri; sed Judicialis, qua Crimen defertur ad superiorem Ecclesiasticum qua Judicem, ut post præviam correctionem paternam, judicialiter contra reum procedat, & condigne puniat. Si autem facta secreta admonitione & correctione paterna, subditus se emendaverit, Prælatus Ecclesiasticus, præsertim Regularis, non debet amplius de ejus causa ut Judex cognoscere. Denuntiatio judicialis tam in foro Civili, quam Canonico, intendit salutem & tranquillitatem publicam, ut pro hac conservanda crimen plectatur, & in posterum impediatur. Fit hæc denuntiatio vel ab iis, qui ex officio ad id tenentur, vel etiam a quocunque alio privato.

§. 27. Mens denuntiantis non est, se offerre ad plenam probationem; sed viam sternit ad Inquisitionem ex officio a Judice instituendam, cujus est, antequam denuntiationem acceptet, *Vel ex officio:*

ipsa Rubrica *de Accusationibus, Inquisitionibus & Denuntiationibus*, ne demum ad quæstionem nominis delabamur.

tet, diligenter introſpicere, ac animadvertere perſonæ denuntiantis qualitatem, mores aliasque circumſtantias, ne cui temere odioſam moleſtiam pariat, ac fruſtra in graves expenſas inducat. Denuntians non tenetur quidem ad inſcribendum: nihilominus ſi quis non ex neceſſitate officii, ſed ſponte & voluntarie aliquem Judici ſuper certo crimine denuntiaverit, & facta informatione reperiatur falſo & calumnioſe denuntiaſſe, poterit denuntiator condemnari in expenſas, & pœnam fiſcalem. Igitur Delator voluntarius debet eſſe certus de crimine commiſſo, & præbere Judici indicia ad Inquiſitionem ſpecialem ſufficientia. Qui autem denuntiant ex officio, habent præſumptionem bonæ fidei pro ſe, poſſuntque ea deferre, quæ veriſimilia audiverunt, ut ſaltem locus ſit Inquiſitioni generali: unde contra hos non competit actio injuriarum, niſi evidens & manifeſta deprehendatur calumnia 55.). Scripta vel Epiſtolæ ſine nomine,

55.) Exemplum punitæ Denuntiationis criminalis legi poteſt apud CRAMERUM Nebenſtunden p. 43. art. 5.] Negatæ au-

mine, quibus Judici crimen alterius manifestatur, non habent vim legitimæ Denuntiationis, sed potius sapiunt famosum libellum 56.), nisi fama, aut aliæ circumstantiæ verosimile crimen faciant. Denuntiatio judicialis debet fieri coram Judice competente: fit enim eo animo, ut Judex ex officio in crimina delata inquirat, & ordine juris animadvertat; quæ locum solummodo habent in foro competente: unde etiam exceptio incompetentiæ opponi potest Judici superiori, si minor ordinarius præteritus est.

§. 28. In defectu legitimi Accusatoris, ne crimina maneant impunita, Judex via *Inquisitionis* contra criminosos procedit a se ipso, sive ex officio. Unde cum aliqui Canonici Ecclesiæ Bisuntinæ de Archiepiscopo suo varia crimina ad Sedem Apostolicam detulissent, sed ante inscriptionem ab Accusatione destitissent; Pontifex INNOCENTIUS III. illis quidem silentium imposuit, *Per Inquisitionem*

---

tem actionis contra denuntiantem ex officio, apud MEVIUM p. 1. decis. 41. 42. 65.) C. 21. §. Tertiæ, de Accusat.

posuit, aliis tamen Inquisitionem de fama Archiepiscopi commisit 57.).

Specialem: §. 29. Non intelligimus hoc loco Inquisitionem *generalissimam*, ubi tantum inquiritur, an nihil occurrat emendatione dignum, prout contingit in visitatione Diœcesium, aut Monasteriorum: neque etiam de *generali* aut mixta, ubi super certo quidem delicto, at non in personam certam indagatur. Proprie huc pertinet Inquisitio *specialis*, quando inquiritur super determinato delicto, & super persona determinata, ut: an Cajus commiserit Simoniam, an Titius occiderit Sejum. Ad hanc Inquisitionem instituendam prævia requiritur Accusatio vel Denuntiatio, aut aliquid Denuntiationi æquivalens, scilicet fama, indicia verosimilia & probata &c., quæ vicem agunt Denuntiatoris vel Accusatoris. Proin Superior muneri suo satisfacturus, in corrigendis, & puniendis excessibus subditorum, non exspectat formalem Accusationem, vel Denuntiationem, sed *quasi denuntiante fama, vel deferente clamo-*

57.) Epistol. Innocentii III. lib. 1. epist. 277. ex qua desumptum est C. 14. de Accusat.

clamore, officii sui debitum exequatur 58.). Pro tali autem casu Inquisitio non debet fieri de occultis vel levibus defectibus ; sed de gravioribus & publicis Delictis, quorum quis laborat infamia.

§. 30. Ultra dictos modos Crimina quandoque proponuntur per *Exceptionem*, vel *contra Accusatorem*, quando accusatus contra ipsum excipit, opponendo crimen, ob quod repellendus sit ab Accusatione ; vel *contra Testem*, ad enervandum ipsius testimonium ; vel *contra promovendum* ad Beneficia, seu officia, ut excludatur ab iis obtinendis. Exceptio contra Accusatorem vel Testem, non habet vim Accusationis ; permittitur enim Accusato quocunque modo se defendere, & *ignoscendum est ei, si voluit se ulcisci provocatus* 59.), & ideo si defecerit in probatione, nullam patitur pœnam. Debet autem Accusator vel Testis prius repellere exceptionem, dein prosequi accusationem, vel testimonium dicere. Hunc *Per Exceptionem :*

C ordi-

58.) C. 24. de Accusat.
59.) L. 14. §. 6. ff. de bonis libert.

ordinem Judicii insinuat GREGORIUS Nazianzenus 60.), scribens, *se juxta legem fori prius Eustochio ad ea, quæ objicit, responsurum, postea autem accusaturum.* Facta autem probatione criminis per Exceptionem oppositi, Accusator vel Testis rejicitur ab accusatione vel testimonio dicendo, non tamen alia pœna afficitur, nisi alio legitimo modo crimen in Judicium deducatur. Qui excipit *contra promovendum*, si id fiat ante confirmationem electi, vel admissionem provisi aut præsentati, non censetur se obligare ad plenam probationem, vel ad pœnam si deficiat, quia tali casu non dejicit a beneficio, licet impediat: qui autem crimen opponit post confirmationem vel collationem Beneficii, videtur agere accusatorem, vultque promotum dejicere. Licet igitur non teneatur inscribere, potest tamen arbitrio Judicis cogi ad pœnam extraor-

60.) Epist. 61. singularem gratiam habent verba græca: ἱνα δε νομον φυλαξω δικαϛικον, απολογησομαι προτερον, ειτα κατηγορησω.

ordinariam, si defecerit in probatione 61.).

§. 31. Præterea Crimen fit notum Judici per propriam *Confessionem*, quando pars accusans vel testis incidenter confitetur, se aliquod Crimen commisisse. Licet autem ex hujusmodi confessione puniri non possit, Judex tamen ex ea sumit occasionem inquirendi, & formandi Processum super illa confessione: in quo si omnia ad Processum criminalem necessaria observentur, potest deveniri ad condemnationem. *Per propriam Confessionem:*

§ 32. Denique trahitur Crimen ad Judicem, quando quis per Ministros Curiæ, vel per alios *deprehenditur* in flagranti crimine, seu in ipso actu delinquendi: talis enim nulla præcedente Denuntiatione, Inquisitione, vel Accusatione capitur, & Judici præsentatur. Unde etiam Clericus in flagranti deprehensus, potest a Laico detineri, & ad Judicem Ecclesiasticum duci, contra quem procedi potest ex abrupto, & juris ordine non servato, ut in notoriis. Ex *Per deprehensionem in flagranti.*

61.) Tota hæc doctrina habetur in C. 16. de Accusat.

tali apprehensione tamen non resultat plena probatio : unde Judex non potest statim devenire ad sententiam condemnatoriam : sed facta per Ministros relatione in Actis Curiæ , si deprehensus mox coram Judice confiteatur Delictum, potest condemnari non datis defensoribus , nisi petantur. Imo contra deprehensum in flagranti juxta multos non requiritur sententia pro executione pœnæ ; requiritur tamen aliquod JudicisDecretum. Hæc multo magis vera sunt, si delictum committatur coram Judice pro Tribunali sedente. Si vero deprehensus negaverit crimen , potest duci ad Torturam , quando grave est crimen , facta prius confrontatione cum testibus , qui illum viderunt. Si opponat exceptiones E.G. se occidisse , sed ad necessariam vitæ suæ defensionem , ad tales exceptiones examinandas proceditur modo infra dicendo. In quibusdam locis severa statuuntur Edicta contra vagos illos , qui passim vocantur Cingari (Zigeuner), hi si deprehenduntur , censentur juxta illa statuta deprehensi in flagranti crimine , ita ut sine strepitu Judicii mox trahi possint

ad ultimum ſupplicium, quod ipſis minantur publicæ columnæ in hunc finem erectæ. Fatendum tamen eſt, talia Edicta executioni dari non debere, niſi hujusmodi homines de capitali crimine confeſſi vel convicti fuerint: aliæ tamen pœnæ locum habere poſſunt 62.).

§. 33. Hos modos trahendi Crimina in Judicium, ſummopere ſibi commendatos habeant Judices Criminales, diverſamque pro ſingulis procedendi normam exacte cognoſcant. Mox enim, quamprimum de Crimine cognitio incidit, in Actis annotandum eſt, an Proceſſus Inquiſitionis, Accuſationis &c. inſtituatur: abſque hac ſingulari determinatione, confundi, turbari, ac præpoſtere agi omnia neceſſe eſt, ita ut demum totus Proceſſus multo labore ac temporis diſpendio formatus, ſi ad aliud Tribunal, vel Juris-peritorum Judicium deferatur, tanquam nullus & irritus rejiciatur. *Diverſus hic modus mox notandus in Actis.*

62.) Vid. Reſponſum Facultatis Ingolſtadienſis apud D. HERMANN. DE CLINGENSPERG Cons. Crim. Tom. 2. Cons. 4.

TITULUS III.

DE MODO DECLINANDI FORUM CRIMINALE PER FUGAM AD ECCLESIAM,

SEU

DE JURE ASYLI ECCLESIASTICI.

Conf. Lib. III. Decretal. Tit. 49.

§. 34.

Asyli Ecclesiastici Definitio:

OMNIBUS temporibus & in omnibus locis varia fuerunt Asyli genera. Nullam gentem innata barbaries abstraxit ab aperiendo miseris perfugio: nullam severus Justitiæ rigor ab erigenda Clementiæ ara retrahebat. Dimissa Asyli profani mentione 63.), hoc loco agitur de Asylo Ecclesiastico, sub quo nomine intelligitur *Locus refugii sacer aut religiosus, immunitatem contra vim præstans intuitu Christianæ Religionis.*

Effectus.

§. 35. Effectus ejus primus est, quod securitatem præstet ab omni violentia: alter, quod post se trahat liberationem a pœna capitali. Hanc liberationem primis

63.) De Asylis profanis videri potest NICOLAUS MYLERUS AB EHRENBACH tract. de Jure Asylorum.

primis Christianorum Imperatorum seculis impetrare studuerunt Episcopi intercessionibus suis 64.): nunc etiam ipso usu annexam habent Asyla Ecclesiastica, quæ eadem æquitate omnem violentiam a confugis arcent, qua Delubris Idolorum, & Statuis Imperatorum hoc beneficium olim concedebatur. Movet ad hoc, exemplum Mansuetudinis Christi; cura æternæ salutis criminosorum, quibus sæpe non concedebatur tempus, rationes conscientiæ suæ cum Deo componendi; occasio exhibendæ Clementiæ, quam rigor Justitiæ excluderet; opportunitas se defendendi; reverentia templis debita; honor DEI & Sanctorum. Unde etiam Legibus Imperatorum, aliorumque Regum & Principum Christianorum hæc Immunitas stabilita, & consensu totius orbis Christiani confirmata fuit, DEO ita disponente, ut sæpe ipsi Principes, ac violatores Asyli, ad hoc confugerent, & securitatem quærerent. Mirum plane est, quod hodie Asyli Ecclesiastici

64.) De his intercessionibus Episcoporum legi potest Can. 7. Concilii Sardicensis, & Scholion Christiani Lupi operum part. 1.

jura improbent illi præcipue, qui Asyla profana certis territoriis, castris, Legatorum ædibus tributa, acerrime defendunt, ut horum violationem veluti crimen læsæ Majestatis persequantur.

Constitutiones Pontificiæ,

§. 36. Variæ Synodi & Constitutiones Pontificiæ gravissimis verbis & præceptis firmant hunc Asyli usum. Doctrinam Ecclesiæ complectitur Decretalis INNOCENTII III. 65.), quam magis declarat GREGORIUS IX. 66.), qui etiam collectioni Decretalium inseri jussit Legem Exodi, *si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur* 67.). Denique GREGORIUS XIV. cum ad Immunitatis hujus usum ad uniformem regulam in omnibus Ecclesiis reducendum, tum ad coercenda perversorum hominum facinora Constitutionem edidit anno 1591. qua libertati Ecclesiarum opportune providit; sed simul varia crimina recensuit, quorum reis hæc Immunitas non suffragetur. Dubia inter Doctores ratione hujus Constitutionis exorta

65.) C. 6. de Immunit. Eccles.
66.) C. 9. & 10. Ibid.
67.) C. 1. de Homicid.

orta declaravit, numerum exceptorum criminum auxit, modumque procedendi præscripsit Benedictus XIII. per Literas Apostolicas *Ex qua divina* &c. Anno 1725. Elapso postea decennio Clemens XII. per Constitutionem *In supremo Justitiæ solio* priora jura ampliavit præcipue contra homicidas: demum Benedictus XIV. in Constitutione *Officii nostri*, anno 1750. nonnulla dubia declaravit, aliaque sequentibus annis opportune statuit, præsertim contra Duellantes. Pro singularibus autem Provinciis, nominatim pro Palatinatu & Bavaria, constituit nonnulla Clemens XIII.

§. 37. Reliquæ etiam Constitutiones Pontificiæ non pro tota Ecclesia omnes sunt editæ, vel saltem non ubique receptæ: de qua re judicium relinquimus Tribunalibus Ecclesiasticis pro varia locorum conditione: non enim est absolute necessarium, ut Tribunalia Germaniæ stylum Curiæ Romanæ in ejusmodi causis præcise sequantur, quamvis uniformis disciplina sit omnino optanda. Hæc autem est ratio multorum dissidiorum in præsenti materia; Ecclesiastici enim sequi volunt, quæcunque immunita- *Ubi sunt receptæ,*

ti favere videntur in Literis Pontificiis: Laici viciſſim ſequi malunt laxiores quarundam Provinciarum conſuetudines, nihilque frequentius opponunt, quam Pontificias quasdam Conſtitutiones in ſua Provincia non eſſe receptas.

Favent Eccleſiis non Criminoſis.

§. 38. Id etiam univerſim notandum, recentiores Pontifices, dum plura identidem crimina ab Aſylo Eccleſiæ excludunt, ſtrictioreque interpretatione plures criminoſos Immunitatis hujus indignos declarant, non cenſeri per ſuas Conſtitutiones derogare juribus Eccleſiarum, ſed prudentiſſime diſcernere inter favorem Eccleſiarum, qui debet eſſe maximus; & inter favorem delinquentium, qui ſervire non debet ad perniciem animarum & communitatis. Promovent Pontifices cultum DEI & reverentiam Eccleſiarum: ut autem homicidæ, & publici Latrones ſeveritatem Juſtitiæ evadant, non videtur ſemper pertinere ad Cultum Divinum, nec ad reverentiam Eccleſiarum, ſed potius ad perniciem ſalutis publicæ. His notatis breviter conſtringimus, quæ a recentioribus Pontificibus ſunt conſtituta.

§. 39.

§. 39. Juxta insinuatas igitur Constitutiones, jure Asyli gaudet *Ecclesia*, seu ædificium, autoritate Ecclesiastica ad Cultum Divinum & peragenda Fidei Mysteria destinatum: quo nomine intelliguntur hodie non tantum celebriores, sed omnes Ecclesiæ 68.), autoritate Episcopi erectæ, etiam nondum consecratæ, etiam interdictæ, violatæ aut pollutæ: item omnia ædificio sacro conjuncta, & ad id spectantia, ut Sacristia, turris, atrium, porticus, tectum, ambitus muro vel fixis terminis distinctus. Hæ extensiones pertinent ad reverentiam Ecclesiarum, ne confugæ in intimis Ecclesiæ penetralibus morari, ibidem comedere, dormire &c. debeant. Hinc qui Ecclesiam clausam inveniens, manu portas, earumve ansam aut vectes apprehendit, jam retinetur ab Ecclesia, a qua violenter abstrahi non potest. Illi tamen quadraginta passus in ambitu Ecclesiæ majoris, id est, Cathedralis, & triginta in circuitu Ecclesiæ minoris, quos Sacri Canones *Asylo gaudent Ecclesiæ,*

&

68.) Olim hanc Immunitatem non ad omnes prorsus Ecclesias, etiam ruri positas, extensam fuisse, certum videtur.

& Principum Conſtitutiones huic Immunitati adjiciunt, in noſtris Provinciis non attenduntur, niſi iſtud ſpatium ſit muro circumdatum, & ſerviat pro atrio Eccleſiæ.

Et loca religioſa. §. 40. Gaudent etiam hoc privilegio loca *Religioſa*, non quidem conſecrata, ſed tamen autoritate Eccleſiaſtica erecta & operibus Religionis deſtinata, uti ſunt Monaſteria, cum toto ſuo ambitu; non tamen villæ, horti & alia ædificia ad œconomiæ uſum extra muros Monaſterii erecta. Hoſpitalia, Noſocomia &c. ſi autoritate ſecularis Magiſtratus erigantur, hoc privilegio non gaudent, cum cenſeantur eſſe loca pia, non autem religioſa. Cœmeterium, autoritate Epiſcopi ad ſepelienda Chriſtianorum corpora deſtinatum, locus eſt religioſus & gaudet jure Aſyli, etiamſi ſit ſeparatum ab Eccleſia. Palatium Epiſcopi in ſua Diœceſi reſidentis, ordinariæ ejus habitationi deſtinatum, habet ejusmodi immunitatem: aliud eſt de ædibus Vicarii in Pontificalibus, qui eſt Epiſcopus in partibus; aut de ædibus Epiſcopi, non ad ordinariam habitationem, ſed ad recreationem, venationem, vel liberiorem

auram

auram captandam exstructis ; aut de ædibus Parochi a templo media platea separatis.

§. 41. Qui liber a manibus Justitiæ confugit ad S. Eucharistiam per publicas plateas portatam, non deberet violenter abstrahi, cum etiam Ecclesiis talis reverentia deferatur ob honorem Eucharistici Numinis : talem enim Christus confugientem ad se in libertate reperit, & in ea pro sua mansuetudine tuetur : quamdiu autem est in manibus Justitiæ, sive in carcere, ad quem portatur Eucharistia, sive extra Ecclesiam captus a lictoribus ducatur per cœmeterium vel per Ecclesiam, beneficio hoc frui non potest, quia in tali casu Christus eum reperit tanquam servum pœnæ & captivum, talemque relinquit, ne videatur damnare Justitiam ab omnibus legibus summopere commendatam. Ex occursu Principis, Cardinalis, aut Episcopi, an Reo ad ultimum supplicium ducto liberatio sit indulgenda, dependet ex arbitrio Principis, qui certe ad veniam concedendam nullo jure tenetur. In Civitatibus mixtæ Religionis, quales in Germania multæ sunt, Magistratus

Quid dicendum in variis casibus?

tus Acatholicus nec potest, nec solet prætendere jus extrahendi reos ab Ecclesiis Catholicorum: imo etiam quando in eodem templo habetur simultaneum utriusque Religionis exercitium, Acatholici non possunt privare jure Asyli illos, qui in tali Ecclesia a Clero Catholico proteguntur, quamvis in iis Ecclesiis, quas soli hoc tempore occupant, confugis violentas manus inferre non horreant.

In confugientibus ad Asylum,

§. 42. Postquam recensuimus Loca, quæ juxta Constitutiones Pontificias criminosos ad se confugientes protegunt, considerandæ sunt Personæ, quæ in hæc loca confugere solent. Hæ sunt in triplici classe. I. qui quærunt protectionem contra vim injustam, quibus merito assignatur locus tutus, reverentia sua aggressores cohibens. II. Qui volunt evitare molestos creditorum assultus. Ministros quidem publicorum æratiorum, furtum aut falsitatem in iis committentes ab Asylo excludit Benedictus XIII. Debitores autem alios recipit Ecclesia, ut immunes præstentur a carcere, ut quietius rationes reddere, rebusque suis consulere queant: curandum autem est, ne in fraudem Creditorum

pe-

pecunias secum in Ecclesiam inferant, nec otiose negligant occasionem debita sua expungendi. III. Qui implorant clementiam contra rigorem Justitiæ. In his considerandæ cum ratio personæ, tum ratio delicti.

Considerandæ ratio Personæ,

§. 43 Ratione *Personæ*, Jure Asyli gaudent omnes Catholici Laici, etiam personaliter interdicti aut excommunicati; nam pœnæ medicinales non debent obesse, urgente periculo damni corporis aut vitæ. Clerici quidem aliunde non habent, quod timeant a violentia Judicum secularium, neque a suis Superioribus Ecclesiasticis pœnam mortis aut mutilationis: nihilominus quia hæc Immunitas concessa est Ecclesiis propter reverentiam ipsis debitam, & Clerici quoque non debent esse deterioris conditionis quam Laici, ipsumque Asyli beneficium ab aliis gravibus pœnis & molestiis liberat; ideo tenendum est, quod Ecclesiæ etiam per extractionem Clerici violari non debeant. Religiosi, cum semper habitent in loco Asyli, non habent perfugium contra pœnas correctivas, pro conservatione disciplinæ regularis necessarias, neque contra pœnas graviores, ad quas vi

Sta-

Statutorum aut Conceſſionum Pontificiarum condemnari poſſunt a ſuis Superior bus, ne hæc Indulta & Canones ſemper fruſtrentur ſuo effectu. Supponere videtur BENEDICTUS XIV., quod Religioſi extra ſimiles caſus jure Aſyli gaudeant, dum declarat, Conſtitutionem, qua Laici animo præmeditato proximum ſuum interficientes, Immunitatis beneficio privantur, etiam ad Religioſos pertinere: exceptio autem firmat regulam in contrarium. Si igitur Religioſus atrocis criminis reus, vel ſuſpectus aſylum quærat in aliena Eccleſia, non deberet inde violenter extrahi, vel tradi, niſi more aliorum ſecularium de licentia Epiſcopi, qui extrahi illum permittet *ad Correctionem.* Judæos aliosque infideles excludi non oportet a Jure, non perſonis, ſed locis ſacris conceſſo ad imitationem Chriſti, qui etiam pro inimicis ſuis veniam a Divino Patre impetrare conatus eſt. Milites ex eo ſolo, quod confugiant ad Eccleſiam, non habentur rei deſertæ militiæ: ſi autem id fiat animo deſerendi militiam, vel ex metu gravioris pœnæ per aliud crimen promeritæ, deberet talis miles Duci ſuo, conſen-

tiente

tiente Episcopo restitui, impetrata securitate vitæ & membrorum: nec effugio ulterior opportunitas præbeatur, ne ejusdem cum milite perjurii participes se faciant Ecclesiæ Rectores. Hucusque ratio *personæ* in confugis considerata est.

§. 44. Ratione *Delicti*, nemo excluditur, nisi delictum sit nominatim exceptum; etiamsi quis jam per sententiam Judicis ad mortem damnatus, vel in triremibus pœnas luat: hic enim si ex carcere vel trireme ad Ecclesiam confugiat cum catenis & compedibus, beneficio asyli gaudet, modo liber sit a manibus Ministrorum Justitiæ vel triremium, & non sit reus criminis excepti. *Et Delicti.*

§. 45. Criminum exceptorum rei statuuntur I. *Publici latrones*, qui publice & impudenter aliena bona diripiunt. II. *Viarum grassatores*, qui itinera frequentata obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. Unicus actus sufficit, ut quis publicus latro & grassator ad effectum privationis asyli dici valeat, si grassati mors aut mutilatio secuta fuerit. III. *Depopulatores agrorum*, non tantum nocturni, *Varia Delicta*

quos nominant antiquiores Constitutiones, sed etiam ii, qui per diem segetes, seu fructus agri vel vineæ devastant, aut etiam diripiunt.

Sunt exceptа, §. 46. IV. *Qui homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cœmeteriis committere non verentur,* etiamsi alteruter, vel occidens vel occisus stet extra Ecclesiam: hi non tantum Ecclesiæ violatæ, sed etiam cujuscunque alterius Ecclesiæ immunitate privantur. Ad hoc autem sufficit, ut vulnus lethale infligatur in Ecclesia, etiamsi mors sequatur extra Ecclesiam: item sufficit, ut quis mandet occidi in Ecclesia, non tamen si quis in Ecclesia dat mandatum occidendi extra Ecclesiam. Olim Ludovicus Pius 69.) vitæ gratiam concessit etiam iis, qui in Ecclesia hominem interfecissent, non ideo quod sacrilegio minueretur gravitas delicti, sed quod Ecclesia non permitteret, injuriam sibi illatam sanguine humano abstergi. Intelligitur autem juxta communem opinionem, ad hunc effectum Ecclesia vel cœmeterium stricte dictum,

69.) Capitular. I. anno 819. c. 1. & lib. IV. c. 13.

dictum, non autem atrium, sacristia, turris, tectum, ædes conjunctæ &c. Hæc loca sufficiunt quidem ad effectum gaudendi immunitate, non autem ad effectum incurrendi privationem asyli: sicut etiam non privatur, qui occidit vel mutilat intra claustra Monasterii. Hæc tamen Constitutio non solet extendi ad eos, qui furtum vel aliud crimen in Ecclesia committunt; unde fur sacrilegus rerum sacrarum posset gaudere asylo.

Quæ non gaudent

§. 47. V. *Qui proditorie proximum suum occiderit*, scilicet ex declaratione Benedicti XIII. interficiens animo præmeditato ac deliberato, cujus criminis reum se facit procurans abortum fœtus vivi. Hac Constitutione comprehenduntur Laici, Clerici & Religiosi, viri ac mulieres, qui mandatum, consilium, auxilium aut aliam operam præbuerint, ex qua homicidium evenerit: item qui homicidium in rixa committunt cum armis seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, qualia etiam sunt baculus aut saxum; dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem. Item qui in Duello sive publice, sive privatim indi-

cto occidunt, sive occisus moriatur in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto; nulla distinctione facta inter provocantem & provocatum; non obstante prævio pacto de non occidendo, sed tantum de vulnerando. Nihilominus asylum conceditur illi, qui ex culpa levi vel leviſſima occidit, per imprudentiam, errorem, ebrietatem, aut ad sui defensionem non observato moderamine inculpatæ tutelæ; imo etiam qui ex lata culpa occidit, quæ in pœnis non æquiparatur dolo: nam universim ab asylo non excludit homicidium, propter quod irrogari non potest pœna ordinaria homicidii; lata autem culpa locum solummodo dat pœnæ extraordinariæ. Si quis per errorem occidit unum pro alio, an gaudeat asylo, decidendum est ex dicendis de homicidio.

Beneficio Asyli. §. 48. VI. *Rei Assasinii*, qui mercede conducti, alieno jussu aliquem interficiunt, aut interfici mandant, dummodo mors ex eo secuta sit. Sub nomine Assasinorum hodie non intelliguntur Syri, qui prioribus seculis ad inferendas neces vocabantur, sed omnes cujuscunque nationis, vel religionis

gionis sint, qui talem operam pro pretio impendunt. VII. *Rei Hæresis*, quando accusantur, vel suspecti sunt de ipso crimine hæreseos non toleratæ, & in locis, in quibus non toleratur. Blasphemia hæreticalis nullibi toleratur: consequenter nullibi gaudet asylo. VIII. *Rei læsæ Majestatis* in personam Principis sui. Si quis Gallus vel Germanus seditiosum librum scribit contra Pontificem Romanum, non quidem excluderetur ab Asylo ob læsam Pontificis Majestatem temporalem, utpote cui Gallus vel Germanus subditus non est; sed tamen ob læsam Majestatem Ecclesiasticam, cui omnes Christiani sunt subjecti. IX. *Qui confugientibus vim inferunt.* X. *Falsificantes Literas Apostolicas.* XI. *Ministri Montis Pietatis, vel alterius publici telonii aut Banci*, qui in his locis furtum aut falsitatem committunt, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit. XII. *Conflantes, adulterantes, vel tondentes quascunque Monetas aureas vel argenteas*, quæ in Provincia, ubi crimen admittitur, liberum usum & commercium habent. XIII. *Illi, qui sub nomine Curiæ sese introducunt in alienas*

nas domos, ibique perpetrant rapinas cum homicidio, aut mutilatione alicujus.

Recepti ad Asylum

§. 49. Constitutiones de reis horum criminum ita stricte sunt intelligendæ, ut extendi non possint ad alia crimina, etiam graviora, nisi pro casu particulari impetretur a Summo Pontifice extractio confugæ. Solet id Pontifex ob causas graves nonnunquam concedere, non tamen ad inferendam pœnam ordinariam mortis, sed potius ad triremes, opus publicum, carcerem temporalem aut perpetuum. Universim loquendo, Rei ad Ecclesiam confugientes recipiendi sunt, nec possunt repelli 70.). Curandum insuper, ut confugientibus sine molestia morari in loco Immunitatis liceat: ne illis aliquid vel victualium rerum, vel vestis denegetur, aut requies 71.).

Cujus impensis alantur?

§. 50. Si confuga habet bona propria, ex illis alendus est: si nihil habeat bonorum, nec amicos, qui necessaria subministrent, Ecclesia, quæ ejus tutelam suscepit, providere de alimentis

---

70.) C. 9. XVII. q. 4.

71.) L. 6. C. de his qui ad Eccles. confug.

alimentis debet, impoſito tamen onere, vel laborandi in commodum Eccleſiæ pro ratione conditionis ſuæ, vel reſarciendi ſumptus opportuno tempore. Viciſſim ejusmodi Rei ad Eccleſiam confugientes, ab omni moleſtia vel injuria locis immunibus afferenda abſtinere tenentur: mox in ingreſſu arma ponant: nihil agant, quod ſanctitatem loci dedeceat, nec in Monaſteriis diſciplinam regularem turbent; adigendi ſunt potius ad rigidam pœnitentiam, ad ſatisfaciendum læſis, ad reparanda ſcandala, & ſeriam vitæ emendationem. Rectores autem Eccleſiarum male faciunt, ſi confugas jure aſyli non gaudentes, poſt requiſitionem Judicis Laici ſtudioſe occultant, & antequam Epiſcopi deciſionem intellexerint, absque prævia pœnitentia & morum emendatione in perniciem Reipublicæ dimittant. Si quis autem gaudet aſylo, jus obtinet, ne violenter aut dolo injuſto, aut promiſſione Judicis de impunitate, extrahatur: ſi vero aliorum mendacibus verbis allectus, vel a ſe ipſo deceptus relinquat aſyli locum, poſſet apprehendi a Judice;

Ecclesia enim neminem invitum retinet.

Quomodo procedatur, si confuga certo gaudet Asylo?

§. 51. Si igitur *certum* sit, quod confuga gaudeat jure Asyli, debebunt Episcopi & Rectores Ecclesiarum magno Zelo Immunitatem Ecclesiasticam tueri: Judices autem seculares abstinere ab omni molestia, loco immuni aut Reo inferenda. Posset tamen interim confuga actione civili in judicio conveniri, ad solvenda debita, resarcienda damna &c. modo illi concedatur plena libertas & securitas ad causam suam defendendam. Si crimen in Bullis Pontificiis non exceptum, sed tamen morte vel severiore pœna corporali dignum sit, & Reus in loco immuni hærens, causa cognita condemnetur a Judice seculari in pœnam mitiorem vel pecuniariam; postea egressus ex Asylo non posset propter idem delictum ad mortem condemnari, quia Judex per sententiam super crimine latam jam functus est suo officio. Securitate igitur de vita & membris accepta detinendus non esset in loco immuni: contra invitum tamen & sponte egredi nolentem, nihil violenter attentandum esset absque autoritate Episcopi.

Hoc

Hoc jubente tradi debet Reus personali obligatione Principi obnoxius, uti miles. Reum autem capitalis criminis non excepti juxta praxin multorum Tribunalium, a sacris Canonibus minime approbatam, interim Judex secularis, qui eum in Asylo latere non ignorat, citari jubet, & instituto Processu contra absentem, profert sententiam, etiam mortis, quam executioni mandaret, si postea Reum extra locum immunem comprehenderet. Nihilominus contra talem Reum in Asylo latentem, qui immunitate gaudere judicatur, non posset Judex procedere *in contumaciam*, forte condemnando ad pœnam pecuniariam, quia habet justam causam non comparendi: consequenter non censetur contumax.

§. 52. Si *dubium* sit, an confuga gaudeat asylo, Rector Ecclesiæ rem omnem ad Episcopum deferre; interim confugam ab omni violentia defendere debet. Certe juxta Constitutiones Pontificias Ministri Curiæ secularis extrahere delinquentem in nullo etiam exceptorum criminum casu, sine expressa licentia Episcopi, & sine interventu personæ Ecclesiasticæ, *Si dubium sit jus,*

ab eo autoritatem habentis, non poſſunt, niſi eo caſu, quo Epiſcopus & perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ, illum in delictis exceptis tradere, aut capturæ & carcerationi aſſiſtere recuſant: tunc autem reverentiæ Eccleſiis debitæ memores, extrahant minori, quo id fieri poteſt, ſcandalo & tumultu; & id quidem non ad eum finem, ut mox ſententiam in ipſos dicant & exequantur; ſed ut tali modo extracti ad carceres Curiæ Eccleſiaſticæ reponantur, donec cognita plene cauſa, de mandato Epiſcopi per Judicem Eccleſiaſticum Curiæ ſeculari conſignentur. Tergiverſante ulterius Epiſcopo, recurrendum erit ad ſummum Pontificem, qui cauſæ cognitionem committet alteri. Cognitio autem hæc & traditio jure ordinario non competit Prælatis Eccleſiæ Epiſcopo inferioribus, etiamſi Jurisdictionem quaſi Epiſcopalem tanquam ordinarii, aut nullius Diœceſis habeant; nec Vicariis Capituli Cathedralis ſede vacante: ſed tali tempore potius ad viciniorem Epiſcopum hæc cognitio devolvetur. Poteſt tamen Rector Eccleſiæ de crimine Rei ad Eccleſiam confugientis cognoſce-

re

re pro capienda informatione Episcopo exhibenda, & colligendis indiciis ad decernendam extractionem requisitis. Hoc potest fieri extrajudicialiter a quocunque Rectore Ecclesiæ; judicialiter autem ab iis, quibus Episcopus in locis a Curia Ecclesiastica remotis generali Commissione id mandat. Hæc tamen informatio nondum sufficit ad sententiam definitivam, an reus gaudeat Asylo, vel non, sicut de Processu informativo infra dicetur. Si Judex secularis, antequam Reus ad Ecclesiam confugisset, legitimum Processum instituit de crimine, posset Episcopus actis illis stare pro decisione: nam acta ejus de crimine aut persona privative subjecta Ecclesiæ, qualis est etiam confuga pro tempore, quo moratur in loco immuni, sunt nulla & nullam probationem faciunt.

§ 53. In dubio, de quo hactenus locuti sumus, Rector Ecclesiæ requisitus a Judice Laico, tenetur custodire confugam, donec negotium deferatur ad Episcopum. Si Curia secularis apud hunc subministret indicia ad capturam sufficientia, tenetur Curia Ecclesiastica juxta recentiores Constitu- *Quid Rectori Ecclesiæ, aut Episcopo incumbat,*

ſtitutiones procedere ad delinquentis extractionem, aſportando eum ad Eccleſiaſticos, vel etiam Curiæ ſecularis carceres, nomine Eccleſiæ cuſtodiendum. Si vero ex Proceſſu informativo adverſus extractum reſultent indicia ad torturam ſufficientia, poteſt extractus Miniſtris Curiæ ſecucularis conſignari, juxta Leges examini ſubjiciendus. Nam ſphæra Jurisdictionis Eccleſiaſticæ ſe extendit ad *quæſtionem Juris*, an crimen ſit exceptum? quæſtio facti autem, an iſte confuga hoc crimen commiſerit, definitive decidenda relinquitur examini Judicis ſecularis, juxta Conſtitutionem Benedicti XIII., quamvis Gregorius XIV. ſtatuerit, conſtare debere Epiſcopo, an confuga *vere* commiſerit crimen exceptum, ad quod requiri videntur plenæ probationes. Hæc omnia intelliguntur, ſi Judex Laicus jurisdictione ſit præditus circa crimen & perſonam. Vulnerans aliquem, præſertim in ſingulari certamine, ſi Chirurgi grave vitæ periculum adeſſe retulerint, e loco immuni ſervatis ſervandis extractus, carceribus mancipetur, reſtituendus omnino,

nino, si vulneratus ultra tempus a Legibus constitutum superstes vixerit. Si quis asylum quærat in alia Diœcesi, quam ubi delictum commissum fuit, debet Episcopus loci delicti, qui eum requirit, indicia ad capturam requisita ad Episcopum Asyli transmittere, ut hujus Episcopi autoritate, aliisque servatis servandis, a loco immuni extrahi, & si res exigit, postulanti Curiæ consignari valeat, suppositа consuetudine mutuæ extraditionis reorum: ubi autem hæc consuetudo non datur, posset Judex loci Asyli ea potestate uti, quam vulgo sibi sumunt Judices loci apprehensionis.

§. 54. Hæc sapientissime a Pontificibus constituta maximam difficultatem patiuntur in Germania nostra, ubi vastissimæ sunt quædam Diœceses, & carcer Ecclesiasticus vix alius invenitur extra Curiam Episcopalem. Dum autem non solum Episcopi, sed etiam Principes remoti sunt a loco commissi delicti, vix consultum est, ut Reus etiam post clara indicia tradatur Magistratui inferiori, vel Duci bellico, cum experientia doceat, cautionem de restituendo ab his inferio- *Præsertim in Germania,*

ribus

ribus datam facile improbari a Superiore, qui ea se teneri non existimabit. Quando igitur Rector Ecclesiæ, donec Episcopus extraditionem decernat, ex prudenti diffidentia confugam tradere custodiendum recusat, nec illius custodiam in se vult suscipere, Magistratus secularis autem de secura custodia Rei certus esse cupit: pro tali casu jam aliquoties Judex secularis Reo in ipso Asylo honestam custodiam adjunxit, cum protestatione, id in loco immuni non fieri autoritate seculari, sed nomine Rectoris Ecclesiæ, qui ex defectu tutæ custodiæ aut virium, non potest, vel non vult securitatem præstare de servando confuga, donec causa ab Episcopo decidatur.

Circa custodiam confugæ?

§. 55. Convenientior videtur hic modus custodiendi, quam ut omnes aditus ad Ecclesiam armato custode obsideantur cum ingenti plurimorum molestia. Si talis etiam custodia indecens videatur, curandum est, ut summi Principes prævio quodam decreto cautionem inferioris Magistratus de restituendo Reo dandam confirment, & summa fide impleri jubeant; Episcopi autem facile concedant,

dant, ut Reus, antequam jus ad immunitatem examinetur, nomine Episcopi detineatur in carcere seculari, ubi Ecclesiasticus non habetur, datis tamen dictis Reversalibus de eodem restituendo, si gaudere Immunitate ab Episcopo judicetur. Diffidentia enim illa & æmulatio, quæ inter Ecclesiasticos & Laicos Judices passim invaluit, perniciosa omnino est paci & concordiæ Reipublicæ Christianæ, dum Judices Ecclesiastici timent violationem Juris Ecclesiarum; Laici autem suspicantur diminutionem autoritatis suæ Judicialis: præsertim si accedant immoderati affectus in causis particularibus, vel etiam ignorantia Legum ex parte Judicum secularium, vel immoderatus Zelus ex parte Ecclesiasticorum, dum tuentur criminosos, quod etiam S. Augustinus fatetur se feciſſe in favorem Donatistarum eo tempore, *quo nondum expertus erat, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ* 72.).

§. 56. Quando Episcopus judicat, Reum *Si manifeste non*

72.) Lib. 2. Retract. c. 5.

gaudeat, vel declaretur non gaudere Asylo?

Reum non gaudere asylo, jubet eum tradi Curiæ seculari, non obstante quacunque appellatione. Quamvis autem non exigatur securitas de vita & membris, nihilominus officium interceſſionis non est omittendum: Judex vero laicus ex circumstantiis deprehendet, quid reverentia Ecclesiæ intercedentis, quid boni publici ratio ab ejus officio exigat. Sicut in tali casu appellatio negatur Reo, ita viciſſim, si Episcopus pronuntiet eum gaudere Asylo, negatur appellatio potestati seculari, quia servanda est æqualitas. Si confuga commisit crimen *manifeste* exceptum; mox a Rectore Ecclesiæ, ad quam confugit, amice moneri debet de securitate non obtinenda. Si tamen potestas secularis eum sibi tradi petat, custodito interim Reo, informandus est Episcopus, qui *declarabit*, Reum non gaudere Asylo. Si confuga ædes sacras profanis operibus fædaret, arma deponere nollet, quietem loci Religiosi, vel officia Divina turbaret; posset consulto Episcopo post admonitionem fruſtraneam carceri Ecclesiastico mancipari, vel in alio loco tuto poni, ubi cessaret loco immuni

mole-

molestias facessere, nec tamen Judici seculari directe traderetur. Siquis absque autoritate Episcopi violenter abstractus ex loco immuni fuerit, debet *ante omnia* reddi illi ipsi Ecclesiæ, quæ per hunc actum fuit violata, & tali quidem modo, ut resarciatur injuria Ecclesiæ illata: debet igitur Reus ad Ecclesiam reduci per eos, qui extraxerunt, & quidem publice, ut tollatur publicum scandalum per violationem immunitatis populo datum: nec potest extractus renuntiare juri suo, cum agatur de Jure Ecclesiæ, quæ tamen injuste se violatam esse conqueri non posset, si Rectores Ecclesiarum & Episcopi prius requisiti, reum criminis excepti custodire recusaverint.

Pœnæ violantium Immunitatem Ecclesiæ.

§. 57. Violatores Immunitatis Ecclesiasticæ in extrahendo Reo, præter reatum sacrilegii, quod juxta Leges Civiles crimini læsæ Majestatis æquiparatur capitali supplicio puniendum 73.), ex sacrorum Canonum præscripto, omni beneficio Asyli

73. L. 2. & 6. C. de his qui ad Eccles. confug.

Ecclesiastici privantur, subjacent pœnæ excommunicationis latæ sententiæ, & ipso facto incurrendæ, solique summo Pontifici reservatæ. Ante publicam tamen ejus declarationem, citari deberet extrahens ad dicendam causam, quare non credat, declarationem esse faciendam, præsertim ob verbum *præsumpserit* in Constitutionibus Pontificiis positum, quo videtur requiri dolus extrahentis, cujus præsumptionem forte a se amovere volet extrahens. Absolutio humiliter petita dari non debet, antequam violator restitutionem præstiterit, & Ecclesiæ satisfecerit. Per violatores autem Immunitatis Ecclesiasticæ intelliguntur extrahentes a loco sacro delinquentem, etiam in casibus exceptis, sine Ecclesiasticæ autoritatis interventu, vel qui extractum ab aliis incarcerant: item tale quid mandantes, aut exceptum esse crimen absque debita autoritate declarantes, Ecclesias obsidentes, delationem alimentorum ad confugam impedientes, traditum post purgata indicia non restituentes, confugam ab immuni loco excludentes.

§. 58.

§. 58. Autoritas Asyli Ecclesiastici potissimum pendet ex eo, ut Episcopi æque soliciti sint pro utilitate Rei publicæ, ac soliciti debent esse Principes seculares de reverentia Ecclesiarum. Quamvis enim disciplina Asyli Ecclesiastici varia possit esse pro varietate temporum & Regionum, concors tamen debet esse studium Religionis ac publicæ salutis. Cum igitur ex una parte facinorosis hominibus audacia crescat, ex altera parte Ecclesiarum numerus ubique auctus, & rigor pœnitentiæ Ecclesiasticæ, quæ olim substituebatur pœnæ mortis, vehementer mitigatus sit; opus est acrioribus remediis contra ea præcipue crimina, quæ in quavis Provincia invalescere deprehenduntur. Unde Episcopi, qui omnem violentiam & irreverentiam ab Ecclesiis & locis religiosis semper arcere debent, quoad extractionem tamen confugarum non deberent anxie inhærere antiquæ Tribunalium suorum praxi, aut receptæ apud se Doctorum interpretationi super Constitutione Gregoriana olim editæ: nam merito Benedictus XIII. suæ ad universam Ecclesiam directæ Constitutioni adversantes praxes Cu-

Studium Religionis

riarum & declarationes Cardinalium ſuſtulit, quibus, uti & interpretationibus Doctorum allegandis ſtudioſe abſtinui.

Conjungendum cum ſeveritate in ſceleratos.

§. 59. In dubio de Jure Aſyli favendum eſt Eccleſiæ, nam *ſummam eſſe rationem, quæ pro religione facit*, Leges agnoſcunt 74): non tamen ſemper favendum eſt Reo. In dubio autem juris, an crimen, de quo commiſſo conſtat, conſiderata circumſtantiarum qualitate, comprehendatur inter excepta, quæſtio non pertinet ad cauſam Eccleſiæ, ſed ad cauſam delinquentis, qui non meretur ſingularem favorem, quamprimum de crimine vere commiſſo conſtat. In talibus rerum contingentia Epiſcopus poterit imitari exemplum ſummorum Pontificum, qui in dubiis inter Doctores motis ſemper reſponderunt in ſeveriorem partem contra Reos, inſuperhabitis benigniorum Doctorum opinionibus. Hoc exemplum tuto imitari poſſunt Epiſcopi in caſibus particularibus, cum ratio reſtringendi Aſylum, quam aſſignant Pontifices, vehementer

74.) L. 43. ff. de Relig. & ſumpt. funer

hementer adhuc urgeat, scilicet hodiernorum temporum corrupti mores & vitiorum frequentia, quam alit spes impunitatis, orta sæpe ex arbitraria Legum interpretatione, dum Doctores aliqui recta interpretandi ratione neglecta, voculas subtiliter excutiunt, & magnum Religioni obsequium se præstitisse credunt, si sceleratum & pernicioſum hominem ante omnem morum emendationem, non in publicam lucem sed in latibula latronum ex Asylo Ecclesiastico emittunt. Optandum, ut ex publicis Episcoporum decretis probe noti sint Ecclesiasticæ Immunitatis limites pro locorum diversitate inviolabiliter observandi 75.).

75.) Titulus hic compendium exhibet Dissertationis a me editæ, quæ inscribitur *Benignitas moderata Ecclesiæ* seu *de Jure Asyli.* Ubi allegationes Jurium & Autorum, aliaque reperiri poterunt.

TITULUS IV.
DE PROCESSU INFORMATIVO.

§. 60.

Informari debet Judex

CRIMINE in Judicium deducto, capitur Informatio per *Proceſſum*, ut vocant *Informativum*. Ad hunc inprimis requiritur, ut conſtet *de Corpore delicti*, ſcilicet an factum ſit, de quo aliquis accuſatur, denuntiatur, vel ex aliis indiciis reus præſumitur. Si delicta ſint facti permanentis, quorum remanent veſtigia, ut homicidium, incendium, vulnus, furtum cum effractione; de his debet conſtare per plenas probationes, per inſpectionem ocularem &c. Si vero ſint facti tranſeuntis, quæ non relinquunt veſtigium poſt ſe, uti adulterium, blasphemia, injuria verbalis; in his ſufficiunt indicia & conjecturæ ad hoc ut conſtare cenſeatur de corpore delicti, cum aliunde ſuper his plena probatio haberi non poſſit. Huic informationi non multum eſt immorandum in delictis notoriis, vel coram Judice perpetratis, vel per propriam confeſſionem manife-

nifestatis. Si periculum sit in mora, & delinquens credatur fugere, potest contra suspectos deveniri ad capturam, vel petendam cautionem de se repræsentando, quamvis de delicto nondum plene constaret.

§. 61. Non sufficit autem, ut constet *de corpore facti*, sed debet constare *de corpore delicti*. Hoc est, non tantum debet constare de cadavere reperto in aquis, vel signa veneni præseferente; sed etiam constare debet, quod homo per malitiam alterius in aquas projectus, vel venenum ex industria propinatum sit. Hoc si sit dubium, opus est opportuna Informatione, ut veritas delicti eluceſcat, quæ ex variis circumstantiis, adhibito peritorum judicio, deprehendi solet. De tali visitatione corporis delicti, quod *Visum Repertum* appellatur, Actuarius vel Notarius omnia accurate annotet, quæ visa vel reperta fuerint, observatis iis, quæ in priore Sectione Tit. XXX. §. 416. seq. de oculari Inspectione sunt tradita. Si ex ejusmodi Informationibus scelus abesse constiterit, silebit Processus: si autem inde re- *De Corpore Delicti:*

sultarent indicia criminis, ad ulteriora progrediendum est.

Et de indiciis contra Reum,

§. 62. Quando sufficienter constat de Corpore delicti, debent etiam, ut aliquis inter reos constitui possit, particularia contra ipsum procedere indicia. Examinandi igitur sunt testes pro Informatione Curiæ, ex quorum dictis vel constet de delinquente, vel saltem aliqua resultent indicia, quod ille delicti reus sit. Tales testes regulariter recipiuntur parte non citata, & secreto. Quamvis autem circa dicta testium, ex quibus captura decernitur, vel tormenta inferuntur, sit diligentissima indagatio facienda, nihilominus possunt etiam testes inhabiles ad examen admitti, quia ex illorum dictis saltem dari potest materia inquirendi veritatem. Unde tale examen inchoari solet ab iis testibus, qui censentur magis informati, quam alii, ut sunt domestici, affines, vicini. Interrogari autem hi testes solent, an delictum commissum esse sciant? unde illud cognoverint? quem delicti autorem censeant? cur hunc, non alium? quid? quale? quo tempore, loco, modo, & quibus aliis circumstantiis

stántiis commissum? quid iis amplius de delicto commisso cognitum ac perspectum? Ex depositione autem horum testium non debet Inquisito magnum præjudicium creari, antequam huic concedatur facultas illos reprobandi, & contra eorum personas, aut dicta excipiendi 76.). Præter testes sæpe perquiruntur ædes eorum, qui suspecti sunt, ad effectum videndi, an aliquid reperiri possit, quod jura fisci vel fundet, vel adjuvet; uti si cui imputetur, quod arma prohibita retineat, libellum famosum confecerit, furtum commiserit, falsam monetam percusserit &c.

§. 63. Si habeantur ex captis informationibus sufficientia indicia contra Reum delinquentem, Judex eum citat ad comparendum, & se exonerandum, ac indicia elidenda. Si inquisitus sit præsens, sæpe locum habet citatio realis per capturam, & incarcerationem. Si vero sit absens, fieri potest per Edictum affixum in locis publicis Curiæ, vel a Judice Ecclesiastico in januis Cathedralis & majoris Ecclesiæ, implorato

Qui potest incarcerari, vel per Edictum citari.

76.) C. 24. de Accusat.

etiam, si utile videatur, brachio sæculari. Interim etiam hodie bona rei fugitivi annotantur in iis delictis, quæ pœnam capitalem, vel corporis afflictivam merentur, non vero in levioribus 77.). De Jure quidem civili carcer non datur ad pœnam, sed tantum ad custodiam 78.) : de Jure autem Canonico datur etiam ad pœnam Ecclesiasticis personis 79.) : in præsenti Processu Informativo carcerari potest Clericus, si suspectus sit de fuga : fieri id tamen debet sine violentia, aut injuria, sed cum modestia, & decentia status Clericalis, ac sine dedecore, nec ex qualibet levi causa, aut sine prævíis indiciis, quia carceratio infert Clericis grave præjudicium, ac infamat, maxime si Clericus sit bonæ opinionis apud homines, cum etiam ex sola accusatione ejus existimatio aliquando gravetur.

§. 64.

77.) Mevius ad Jus Lubecens. lib. 4. tit. 4. art. 13. Georg. a Widmont ad ff. de requirendis vel absentibus damnandis.

78.) L. 8. §. 9. ff. de pœnis. L. 6. C. eod. L. 1. & 2. C. de custod. reor.

79.) C. 6. de pœnis.

§. 64. Post carcerationem Rei, proceditur ad illius examen, propositis interrogationibus non suggestivis, aptis tamen ad effectum habendi veritatem de delicto, super quo inquiritur, ex ejusdem Rei ore, cum nulla major probatio sit, quam proprii oris confessio, modo ex informatione constet saltem semiplene, quod ipse delictum, de quo inquiritur, commiserit, vel adsint indicia æquipollentia: alioquin Judex non legitime interrogaret, nec reus teneretur respondere. Si autem Judex a Reo, vel a teste injuste, hoc est, per minas, vim, aut tormenta extorqueat secretum delictum, de quo nulla extant indicia, infamia, aut probatio, in tali casu non potest Judex ulterius procedere, nec Reum punire: idem potest dici, si non culpa Judicis, sed iniquitate Ministrorum id fiat. *Sequitur Examen*

§. 65. Hoc Examen vocari solet *Constitutum*, & plerumque incipit a verbo *Constitutus personaliter;* & requirit singularem peritiam Judicis, qui sæpe artificiosis suis interrogationibus confessionem elicit, quam non eliceret *Fit Constitutum*

ret tortura 80.). Interrogationes debent fieri ſuper quolibet indicio ſingillatim, & ſuper circumſtantiis, quæ attingunt ipſum factum: non improbo praxin eorum, qui permiſcent Interrogatoria non neceſſaria, ne Reus connexas eodem filo reſponſiones reddat, ſed magis de veritate ad ſingulas interrogationes reddenda ſolicitus ſit. Imponi igitur debet juramentum de veritate dicenda; compelli etiam pœnis poteſt ad reſpondendum, ſi omnino nollet reſpondere, vel ſaltem non congrue. In fine autem examinis jubeatur ſubſcribere nomen ſuum, aut ſaltem formare ſignum crucis, ſi neſciat ſcribere. Nonnunquam fit confrontatio teſtium, vel ſociorum criminis. Si his omnibus non obſtantibus non fateatur crimen, finitur Proceſſus informativus. Si actus aliquis non poteſt finiri uno die, differtur in alterum judicialem, quæ dicitur *Diffiſſio*. Hæc concipiebatur apud Romanos hac formula: *Hic dies diffiſſus eſto* 81.).

TITU-

80.) Hujus examinis & conſtituti formulas exhibet PELLEGRINI in Praxi Vicar. p. 4. ſect. 9.

81.) A. GELLIUS noct. attic. lib. 14. c. 2.

TITULUS V.
DE PROCESSU OFFENSIVO.

Conf. Decretal. Lib. II. Tit. 19. & 20.

§. 66.

FINITO Processu Informativo, datur ejus copia vel ipsi Reo, si ita Judici videbitur, vel saltem Accusatori aut Fisco, qui ex indiciis per Informationem contra Reum repertis, format articulos, seu Capitula communicanda Reo pro paranda defensione, cujus responsiones habentur pro litis contestatione. Et sic initium sumit *Processus offensivus*. Circa hunc praxis diversarum Curiarum est varia. Pauca Juri communi magis conformia attingimus. *Sequitur Processus Offensivus;*

§. 67. Admissis articulis examinantur Testes Accusatoris, & repetuntur testes antea examinati pro Curiæ Informatione, citato Reo ad videndum ipsorum juramenta, qui potest Articulis adjungere Interrogatoria 82.). Etiamsi Testes in examine pro Informatione jam juraverint, debent tamen iterum jurare, si repetantur: *Examinantur testes Accusatoris;*

82.) L. 27. §. 7. ff. ad Leg. Jul. de adulter.

tantur : nam sine repetitione non fa-cerent probationem , nec ad con-demnandum , nec ad torquendum, sed tantum ad inquirendum , si agi-tur de Reo præsente , cum ejusmodi Testes examinati fuerint Reo non non citato. Si in priori Examine non juraverint , defectus hic purgatur per juramentum in repetitione , cum attendatur secundum examen factum solenniter parte citata , non autem primum pro informatione Curiæ su-sceptum.

Repetuntur testes

§. 68. Præter ea , quæ in priori Sectione de Testibus dicta sunt , notandum est , quod repetitio hæc non facile committi possit alteri a Judice, nisi gravis causa commissionem suadeat. Item quod repetitio fieri debeat cum omnibus solennitatibus & circumstantiis , acsi testes nunquam fuissent examinati. Proponuntur inprimis Interrogatoria a Reo proposita , vel ex officio Judicis adjecta: dein legitur cuique testi in secreto sua depositio antea facta. Si testis noluerit de novo respondere ad Interrogatoria , nisi prius ipsi legatur prima depositio , haberetur suspectus de falso : data autem responsione

ne ad Interrogatoria facta per Judicem, potest jure suo petere, ut sibi legatur prima depositio. Ut hi testes faciant probationem, debent affirmare, ea vera esse, quæ in primo examine dixerunt: oportet autem repetere dicta per extensum, non vero se referre ad primum examen; quod licet posset sufficere in Civilibus, non tamen sufficit in Criminalibus. Possent tamen testes repetiti aliquid addere vel detrahere primis depositionibus, qua ratione relevant, vel aggravant Inquisitum. Si variant a primo dicto, Curiæ aliquæ ejusmodi restes torturæ subjiciunt, ad effectum videndi, in quo dicto velint persistere. Tam acri medio opus non erit, si testis in secundo examine alleget justam & rationabilem causam, quare a primo dicto recedat.

§. 69. Repetitio Testium in variis casibus omitti potest, scilicet, quando Reus declarat, se habere Testes pro rite & recte examinatis; quando condemnatus est in contumaciam; quando Testes confrontati fuerunt cum Reo; quando iste confitetur delictum, & dato termino ad se defendendum, nihil deducit *Pro Informatione jam examinati,*

contra

contra propriam confessionem. Si Testis pro informatione examinatus, & pro repetitione citatus fugeret, vel se occultaret, redderet seipsum & reliquos testes suspectos de falso. Si Testes interea mortui essent, eorum dicta non probarent in Processu offensivo. Quamvis enim passim tradant Doctores 83.), quod Testes mortui probent, salvo jure opponendi exceptiones contra personas & dicta eorum; nihilominus textus legis hanc doctrinam firmantis, loquitur aperte tantum de causis Civilibus, ex quibus argumentum non procedit ad causas Criminales, ubi probationes debent esse plenæ: testes autem in Processu Informativo examinati absque partis citatione, faciunt solum indicium ad inquirendum, non autem operantur plenam probationem ad condemnandum.

Assumuntur aliæ probationes,

§. 70. Præter testes adhibentur etiam aliæ probationum species, de quibus in sectione priori diximus. Sic delicta, quæ per scripturam sunt commissa, plene probantur per eandem scripturam, E. G. per literas, quibus

83.) Ex L. fin. C. de Testib.

quibus quis hostem patriæ, aut proditorem consilio juvit, perduellionis conscium se profitetur aut quas falsas fecit in præjudicium tertii. Unde unde autem deducantur probationes, debent in criminalibus pro condemnatione esse plenæ & luce meridiana clariores 84.), ita ut nullum dubium supersit circa crimen: & quidem, quo gravior pœna imminet, eo fortior desideratur probatio. Communiter tenetur, indiciis & præsumptionibus plenam probandi vim non inesse, nisi vel documentis recognitis, vel confessione rei coram Judice facta firmentur. Infra tamen, ubi de singularibus delictis sermo erit, facile apparebit, circa aliqua crimina judicari juxta violentas præsumptiones & indicia, ubi alia probatio haberi non potest.

§. 71. Frequentem usum ad probanda Crimina habet *Confrontatio*, quando duo, qui de facto, aut ejus circumstantiis discrepant, inter se committuntur, scilicet testes inter se, *Et Confronta-tio.*

F vel

84.) L. 16. C. de pœnis. L. fin. C. de probat. L. fin. C. si ex fals. instrum.

vel inquisiti inter se, vel testes cum inquisito; nam frons sæpe prodit mentem mali conscium: & plerumque maximorum criminum rei, tam effrontes non sunt, ut absque ulla oris aut sermonis mutatione ferre possint præsentiam ejus, quem scelerum suorum conscium sciunt. Is tamen, qui per confrontationem deberet convinci, legitimis indiciis commissi criminis gravatus sit oportet, præsertim si alioquin honestæ famæ sit, & confrontatio fieret cum infami homine: vehementer enim per talem confrontationem fama honesti viri fugillatur.

TITULUS VI.
DE PROCESSU DEFENSIVO.

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 34.

§. 72.

Conceditur Reo Defensio, ÆQUITAS & sana ratio exigit, ut Reo accusato vel Inquisito concedantur Defensiones, admissis etiam Advocatis, quorum opera uti possit ad formandos pro sua innocentia articulos. Unde Acta & Protocolla Inquisi-

quisitionis edi debent Reo, & ejus Advocato: nec sine magna iniquitate negari hæc communicatio posset ob prætensum stylum contrarium Curiæ 85.). Et id quidem concedi debet, etiamsi Inquisitus in Processu Informativo fassus fuisset crimen: hic enim posset excipere contra propriam confessionem, quod fuerit extrajudicialis; non coram competente Judice, vel coram eo non sedente pro tribunali; quod fuerit extorta a Judice cum promissione impunitatis; quod non constet de delicto, cum sola confessio Rei non sufficiat ad condemandum; quod confessio fuerit erronea &c. *Divus Severus rescripsit, confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat* 86.). Operam igitur dabit Advocatus, ut istiusmodi confessionibus omnem fidem & efficaciam detrahat, & ne clientes accusati negligentia, incuria, atque solertis defensionis defectu

85.) C. 24. de Accusation. FARINACIUS de Inquisit. lib. 1. tit. 1. q. 11. n. 47. OLDEKOP quæst. criminal. decad. 1. quæst. 1.

86.) L. 1. §. 17. ff. de quæstion.

damnum irreparabile accipiant 87.). Neque enim omnes captivi, Constantia Socratis sunt præditi, qui licet innocens esset, Lysiæ tamen, qui in dicendo præstantissimus habebatur, defensionem sibi oblatam respuit, ac bonæ conscientiæ testimonio fretus, hilari animo cicutam bibit, ac mortem suscepit. Processus quidem istius forma non adstringitur ad apices Processus Civilis: non enim datur terminus probatorius peremptorius; admittitur repetitum examen etiam post rotuli publicationem &c. Non tamen nimium soliciti sint Advocati ad reos variis artibus defendendos in perniciem Reipublicæ.

Cujus variæ sunt species:

§. 73. Variæ sunt defensionum species. Singulas afferre non patiuntur angustiæ hujus libelli 88.). Oriri defensio potest *ex Jure*, forte ex præscri-

87.) In C. 11. de hæret. Advocatis & Tabellionibus prohibetur, ne operam aut patrocinium hæreticis præstent, scilicet in statu Pontificio.

88.) Vid. Sebast. Guazzinus tract. ad Defensam Reorum. Pellegrin. Prax. Vicar. p. 4. sect. 10. Jacob. Bouricius tract. qui inscribitur *Captivus*, sive Enchiridion defensionum.

scriptione viginti annorum a die commissi criminis 89.) : *ex Facto*, quod delictum omnino non fuerit commissum; vel quod potuerit licite patrari, forte ad necessariam defensionem, casu vel errore; quod vulneratus non fuerit mortuus ex vulnere, sed ex alia causa, præsertim si supervivat quadraginta diebus post vulnus acceptum. Potest excipi contra personas aut dicta testium, vel contra modum eos recipiendi; quod Instrumenta ad probandum delictum producta, fuerint confecta in judicio civili, quæ non probant in criminalibus; quod de eodem crimine fuerit alias inquisitus & absolutus, non tantum ex defectu probationis, sed ex capite innocentiæ; quod delictum sibi fuerit a supremo Principe remissum; quod saltem minuenda sit pœna ratione ætatis minoris, vel senectutis; ratione justi doloris, metus, provocationis, ignorantiæ, mandati Superioris: fundatur etiam defensio ex defectu rationis, ob amentiam, ebrietatem, somnum, justam iram. Ad has exceptiones stabiliendas, &

89.) Vid. infra Tit. de Pœnis.

accusati innocentiam comprobandam admittuntur testes etiam inhabiles, & intestabiles imo conjecturæ & præsumptiones 90.); sufficitque dubia & semiplena probatio. Unde unus testis pro reo evertit perfectam accusatoris probationem, ut reus ad mortem damnari non possit. Quamvis non admittatur juramentum pro supplenda semiplena probatione criminis, admittitur tamen intuitu Rei, qui innocentiam suam exceptione opposita semiplene probavit. Cum igitur Defensio Reorum adeo sit favorabilis & privilegiata; debet Judex eam non solum, si rogetur, admittere, sed etiam ex officio testes pro Rei Defensione examinare, etiamsi Reus non petat: nec unquam concluditur in tali causa criminali, ubi agitur de vita hominis, vel de alio gravi præjudicio ipsius. Eo autem hæ defensiones tendunt, ut Reus vel exceptiones suas probet, vel justam suspicionem, in quam ex indiciis in Processu Informativo prolatis adductus est, a se amoliatur, quam Purga-

90.) L. merito. 51. ff. pro socio, ibi: *plerumque credendum est* &c.

gationem vocamus. Id tamen non permittendum, ut accusatus adversarium suum de alio crimine accuset, donec se ipsum purgaverit, nisi objectum crimen meram rationem exceptionis habeat 91.).

§. 74. Si igitur dictis jam modis Indicia nondum plene enervata sint, locum olim habebat Purgatio *Canonica*, vel *vulgaris*. De hac egimus in Sectione priore Tit. I. §. 7. Tit. XXVI. §. 309. seq. Purgatio Canonica fit *per Juramentum Purgationis*, quod non quidem ad decisionem causæ, sed ad abolendam omnem suspicionem adhibetur, quæ in aliquem cadere videtur de commisso crimine, aut de quodam defectu, macula vel impedimento, ob quod deberet excludi ab officio, dignitate, sacris Ordinibus &c. Exemplum habemus in actis Innocentii III. Pontificis contra Episcopum Pragensem 92.), ubi in causa criminali non admittitur quidem Procurator neque ad agendum, neque ad defendendum: nihilominus *Fit etiam per Purgationem vulgaris.*

91.) L. 5. ff. de publ. judic. L. 1. & 19. C. de his qui accus. non poss.

92.) C. 15. de Accus. quod extrahitur ex Innocentii Lib. V. epist. 28.

quia Reus citatus non comparuit, auditus est Procurator ad excusandam absentiam Rei: ipse autem Reus admissus est ad Purgationem Canonicam proprer contumaciam & infamiam ab accusatoribus inustam.

Canonicam:

§. 75. Vocari solet *Purgatio Canonica*, quia Sacri Canones eam invenerunt, ad excludendas purgationes vulgares ferri candentis, duelli &c. 93.). In Capitularibus & Legibus veterum Germanorum occurrit frequens ejusdem mentio: de antiquis autem modis ejusdem agunt passim Commentarii ad Jus Canonicum 94.). Hodie ubi usus ejus viget, deberet fieri per juramentum, quando quis est diffamatus, vel suspectus de crimine, vel impedimento aliquo, quod contra ipsum non potest plene probari. Locus huic purgationi est apud Personas, quarum bona fama magnopere est necessaria, uti sunt Clerici, Religiosi, ac etiam Laici, præsertim in causa

93.) C. 1. XV. q. 5. & tot. Tit. ✠ de Purgat. Canon.

94.) Emman. Gonzal. ad C. 16. de Purgat. Can. n. 5. Du Cange Glossar. V. *Juramentum.*

causa hæresis 95.). Extra causam hæresis, Purgationem hanc merito eliminatam esse ab universa DEI Ecclesia, tenent aliqui 96.), quibus nolim universim assentiri. Adhibetur solum in rebus arduis, etiam in criminalibus: quamvis enim in his, ut dictum, non concedatur actori Juramentum suppletorium, concedit tamen Judex Reo purgatorium, modo Actor non attulerit tanta indicia, quæ sufficiant ad torturam. Hoc Juramentum nec actor remittere, nec reus, cui indicitur, referre potest. Eo utitur etiam Camera Imperialis in causis fractæ pacis 97.). Jurare autem quis debet, se non commisisse objectum crimen, vel non laborare defectu, de quo habetur suspectus.

§. 76. Circa formam præstandi hujus juramenti bene notanda est doctrina INNOCENTII III. 98.): dum enim *Ejus forma,*

95.) Julius Clarus. lib. V. recept. sent. §. fin. q. 63. n. 4. & 5.

96.) SPATHARIUS de modo corrigendi Religiosos tr. 3. c. 12.

97.) Ord. Cam. p. 2. tit. 10. & Concept. nov. ord. Cam. p. 2. tit. 11.

98.) Lib. 16. epist. 158. quæ relata est in C. fin. de Purg. Can.

Archiepiscopus accusatus de Simonia, venditione Justitiæ atque incontinentia, jussus esset Juramento se purgare, offerebat se ad jurandum hac forma, videlicet, *quod immunis sit ab illis criminibus, de quibus fuerat infamatus.* Suspicabatur Pontifex, eum sub hac forma intelligere, quod immunis sit ab iis criminibus, tanquam dimissis per pœnitentiam: unde formam illam reprobavit, utpote indiscretam, temerariam & ineptam. Cum autem Archiepiscopus formulam a Delegatis Pontificiis sibi propositam acceptare nollet, juxta quam credebat se obligari ad asserendum, quod a nativitate sua nunquam passus fuerit lapsum carnis; ideo INNOCENTIUS moderando hunc rigorem, jussit jurare sub hac forma, quod Simoniam, venditionem Justitiæ, atque incontinentiam minime commiserit, postquam ad Archiepiscopalem promotus est dignitatem.

Adhibitis Compurgatoribus.

§. 77. Sicut autem infamatus, vel suspectus præstare debet Juramentum *veritatis* de innocentia sua; ita etiam deberent alii honestæ famæ & vitæ Compurgatores, pro causæ & personarum qualitate, pauciores vel plures,

res, præstare juramentum *credulitatis*, quod credant, Reum vere jurare, & immunem esse a crimine vel macula, de qua redditus est suspectus. Unde orta est phrasis, innocentiam suam ostendere cum septima, aut quinta manu sui ordinis, hoc est, cum septem vel quinque Compurgatoribus, Collegis suis, quibus infamati vita & mores sint noti. Morem tamen istum adhibendi compurgatores hodie non usurpari videmus. Effectus hujus juramenti est, ut ille, qui præstitit, absolvatur, ac in pristinum statum reponatur. Potest tamen etiam præstito Juramento in ordinario Judicio crimen contra eum probari, vel a Judice de veritate inquiri. Qui autem jurare recusat, pro convicto habetur.

TITULUS VII.
DE TORTURA.

§. 78.

ABsoluto Processu offensivo & defensivo, sæpe probationes non sunt adeo claræ & apertæ, ut per eas deveniri possit ad sententiam condemnatoriam, cum in criminalibus luce meridiana clariores esse debeant; neque

Si Reus non plene convincitur, devenitur ad torturam,

neque ad ſententiam abſolutoriam, quia urgent indicia tanta, ut ad condemnandum nihil aliud ſit neceſſarium, quam propria confeſſio. Si igitur in tali caſu ſuſpiciones & indicia ex Proceſſu contra Reum reſultantia, & legitime probata, permaneant illæſa, nec ſint enervata per alia indicia defenſiva; locum non habet purgatio Canonica, quæ ſolummodo ad abolendam maculam, & ſuſpicionem eſt introducta: ſed demum ad finem eruendi veritatem, deveniri ſolet ad Torturam contra eundem Reum. Hæc vocatur *Quæſtio*, qua voce *intelligere debemus tormenta & corporis dolorem ad eruendam veritatem* 99.) in ejusmodi delictis, quæ eſſent punienda pœna corporali.

Quæ eſt medium fallibile

§. 79. Movetur ab aliquibus dubium, an in Chriſtianis Tribunalibus poſſit Reus torturæ ſubjici ad obtinendam ejus confeſſionem? Liceat de hac re non tam propriam mentem aperire, quam aliorum ſenſa manifeſtare, ex quibus animi quorundam Judicum mitiores fieri poſſent. Lex Civilis & communiſſimus Judicum Criminalium uſus, præviis ſufficientibus,

99.) L. 15. §. 41. ff. de Injur.

tibus, & plene probatis 100.) indiciis 1.), & quando constat de corpore delicti, non tantum permittit, sed etiam præcipit hunc modum extorquendi confessionem, qui tamen nonnullis displicet ex ea potissimum ratione, quod tortura non sit certum, sed prorsus fallibile medium detegendi veritatem, quæ quæritur; quia multi contra tormenta indurati obstinate negant crimina vere perpetrata; alii ex doloris impatientia sibi affingunt crimina falsa. Igitur censent aliqui, Tormentis argumenta humanitatis, Religionis, & Jurisconsultorum repugnare 2.). Ipsi sapientiores Romani agnoscebant, hoc medium, quo in servos præcipue sæviebant, minime aptum esse ad detegendam veritatem. Unde cum servi quondam

100.) Crimen non debet esse plene probatum, sed tamen indicium, uti colligitur ex Constitut. Carol. Art. 20. seqq. unde unus testis non sufficit.

1.) Menochius de Præsumpt. lib. 1. q. 89. quadraginta tria enumerat indicia ad torturam sufficientia. D. Banniza de Proc. Crim. c. 12. aliique adhuc plura.

2.) Emeric. a Rosbach Pract. Crim. tit. 5. c. 9.

dam in testimonium adducti, vi tormentorum ad veritatem dicendam adigerentur, *quidam & honoribus populi ornatus & summa virtute præditus, intelligere se dixit, non id agi, ut verum inveniretur, sed ut aliquid falsi dicere cogerentur* 3.). Nam *tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujusque tum animi tum corporis, regit quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tot rerum anguſtiis nihil veritati loci relinquatur* 4.).

Detegendi veritatem;

§. 80. In ejusmodi judicio juxta QUINTILIANUM 5.) *pars altera quæstionem, vera fatendi necessitatem vocat; altera sæpe etiam causam falsa dicendi, quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas necessarium.* Quæ sententia his verbis reddi solet: *mentietur, qui ferre poterit: mentietur, qui ferre non poterit.* Ipsæ Leges Civiles, optime hoc apprehendunt: *Quæstio res est fragilis & periculosa, & quæ veritatem fallat: nam plerique patientia, sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo*

3.) Sic loquitur CICERO in Orat. pro A. Cluentio. N. 177.
4.) Idem in Orat. pro P. Sylla. N. 77.
5.) Lib. 5. Instit. c. 4.

do possit: alii tanta sunt impatientia, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta velint 6.). TERTULLIANUS 7.) ait; *mortis metus non tantus est, quantus tormentorum.* Unde narrat, mulierem Athenienſem, quæ conſcia conjurationis in tyrannum, non timebat mortem pro tenendo ſilentio; nihilominus timebat, ne cederet tormentis, ideo cum ad prodendos conjuratos torqueretur a tyranno, carnifice jam fatigato, poſtremo linguam ſuam dentibus præciſam *in faciem tyranni ſævientis expuit, ut expueret & vocem, ne conjuratos confiteri posset, ſi etiam victa voluiſſet* 8.). Merito itaque Leges ad mitigandum horrorem ſtatuunt modum, dum exigunt ad torturam ſaltem ſemiplenam probationem criminis; præſcribunt moderationem intuitu perſonarum; & denique ceſſare jubent a tormentis, ſi ter repetita per obſtinatum ſilentium Rei eludantur. Serio inculcat DEus in Lege Moſaica, ne Judices vivere ſinant malefactores: nunquam tamen pro detegenda veritate ſceleris occulti remittit Judices

6.) L. 1. §. 23. ff. de Quæſtion.
7.) Lib. ad Martyr. cap. 4.
8.) Idem Apologet. cap. 50.

dices ad tormenta, sed solummodo ad testes & argumenta.

Nec fundat firmum judicium.

§. 81. Eleganti animadversione S. Augustinus 9.) severam hanc quæstionem improbat, dicens: *Cum quæritur, utrum sit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas, non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse nescitur, ac per hoc ignorantia Judicis plerumque est calamitas innocentis.* Ex mente igitur S. Augustini tortura pœna potius incerti criminis dicenda est, quam medium inquirendæ veritatis: qua æquitate autem possit pœna imponi, antequam quis convincatur de crimine, non apparet, præsertim cum Judex post torturam non sit certior & securior de crimine confesso, quam fuerat ance torturam. Cautelis Criminalibus Justi Oldekop adjecta est appendix, ubi recensentur exempla cum eorum, qui tormentis non fuerunt adacti ad detegendam veritatem; tum eorum, qui dolori cedentes, delicta quæ non patraverunt, de se confessi, ultimo supplicio affecti sunt. Unde ob solam confessionem per tormenta ex-

9.) De Civit. Dei. lib. 19. c. 6.

expressam nemo condemnari potest, nisi eandem confessionem extra conspectum torturæ, ad banchum juris confirmet: imo post torturam tertio repetitam absolvendus est Reus. Qua igitur æquitate, non tam pro detegenda veritate, quam pro eliciendo mendacio, tormentis affectus est, & quidem tam atrocibus, ut agnita etiam innocentia, ad labores suos, vitamque sustentandam ineptus reddatur, præsertim si in manus incidat vel inimici lictoris, vel injusti aut imprudentis Judicis, quem pro libitu in alterius corio ex levissimis rationibus ludere delectat.

§. 82. Præfectus cujusdam Toparchiæ meo tempore Facultatem Juridicam consuluit, an in transmissa facti specie, & rotulo examinis, indicia appareant sufficientia ad torturam? privatis autem literis rogabat Professorem Juris, ut Responsum Facultatis ad inferendam torturam dirigeret; filium enim suum, Juris studiosum jam domi suæ esse, qui nulli unquam torturæ interfuisset: utile autem esse his juvenibus, ut praxin torquendi non tantum in libris

Abusus quorundam Judicum.

ris legant, sed oculis aspiciant. Bella hæc est ratio torquendi inquisitos: merentur tales Judices, ut vivi traderenturMedicis pro instituenda Anatomia ad erudiendos Medicæ artis tyrones. Alius quidam me præsente propugnabat, Reum sponte confessum, adhuc torquendum esse juxta commune Juris axioma, confessionem debere fieri tam intra, quam extra torturam. Monitus de sensu axiomatis, quod scilicet Reus confessionem in tortura editam confirmare postea debeat ad banchum juris, allegabat pro se consuetudinem vicini cujusdam regni. Intellexit haud dubie praxin illorum Judicum, quos Julius Clarus 10.) ineruditos causarum criminalium vocat, qui torquere solent convictos, non autem confessos de crimine, non ut amplius constet de eo, sed solum, ne per Appellationem illud, quod fuerit pronuntiatum, suspendi contingat. Hæc ratio non pugnat hodie, præsertim in Germania, ubi in Criminalibus non admittitur Appellatio. Remotis etiam quorundam Judicum abusi-

10.) Sent. lib. 5. §. fin. q. 64. n. 7.

abusibus, multis non placet torturæ usus. Me quidem non movet autoritas CHRISTIANI THOMASII, qui Dissertationem edidit *de Tortura ex foris Christianorum proscribenda* : censeo tamen, consideratis, quæ retulimus, rationibus, cautiores & moderatiores debere esse Judices in decernendis tormentis, præsertim exquisitis illis, quæ feroci carnificum ingenio recens inveniuntur, & a rerum criminalium tractatoribus ad omnium notitiam propalantur instrumentis aspectu horridis æri incisis, & ad ornamentum librorum suorum exhibitis.

§. 83. Cum autem usus Torturæ in nostris regionibus ex foro criminali penitus eliminari non possit, pauca annotare lubet de Tortura, quæ etiam ad Clericos pertingere, vel in Judicio Ecclesiastico adhiberi potest. Ut Ecclesiastici pro detegenda veritate illati cujusdam damni temporalis, usum torturæ urgeant, vel exerceant, mansuetudinem status Clericalis non decet: unde HILDEBERTUS Turonensis Archiepiscopus 11.) arguit quemdam Episcopum vel Sacer-

Etiam Clerici torqueri possunt.

11.) Epist. 30.

dotem his verbis: *Reos tormentis afficere, vel suppliciis extorquere confessionem; censura Curiæ est, non Ecclesiæ disciplina: unde & ab ejus animadversione abstinere debuisti, quem pecuniam tuam furto suspicaris asportasse* &c. In atrocioribus autem delictis, quæ in gravem perniciem Reipublicæ cedere videbuntur, posse Clericos, etiam Sacerdotes, præcedente infamia torqueri ad veritatem eruendam, docent communiter Autores 12.): quamvis non adeo acriter torquendi sint, ac Laici. Pro tormento Clericorum potest haberi jejunium in pane & aqua, flagellatio propriis manibus, aut alienis &c. Si autem de atroci crimine agatur, communior etiam Laicos torquendi modus est per applicationem Rei ad chordam, & elevationem corporis ex brachiis ad tergum retortis, & manibus funiculo ligatis.

Cautelæ, §. 84. Multa relinquuntur arbitrio Judicis merum Imperium habentis (inferior enim torquere non potest), considerata gravitate delicti, qualitate Indiciorum, statu, ætate, debilitate

12.) Ex C. 4. V. q. 5.

te, & valetudine perſonæ, quæ debet idonea conſervari ad fruendum beneficio abſolutionis, ſi innocens reperiatur. Non debet tortura hæc inferri ſtatim poſt ſumptum cibum, ſed poſt aliquot horas a ſumpto cibo elapſas 13.): nec deberet tortura continuari ultra horam, niſi crimina ſint atrociſſima. In his etiam deberet gradatim procedi; primus enim torturæ gradus eſt Territio & minæ de torquendo: ſecundus eſt deductio ad locum tormentorum: tertius eſt ſpoliatio veſtium & ligatio: quartus elevatio in equuleo: quintus quaſſatio ſeu ictus, & impulſus chordæ. Ad talem quæſtionem, quæ in noſtris Provinciis circa Clericos rariſſime adhibebitur, poteſt Epiſcopus adhibere Miniſtros Laicos, cum non deceat, ut ad hoc ignominioſum officium adhibeantur Clerici, quia iſti etiam rerum harum minus ſunt periti, proin facile poſſent gravius damnum inferre ultra intentionem Judicis. Idem ſentiendum de Regularibus.

13.) Septem horas exigit TRANQUILLUS AMBROSINUS de Proceſſ. inform. lib. 4. c. 1. n. 30.

Circa personas torquendas.

§. 85. Universim notandum, quod ante Torturam danda sit Reo, aut ejus Advocato copia Indiciorum & Processus; quod tamen non requiritur, si quis repertus fuerit in flagranti crimine, aut delictum sit notorium. Qui absque præcedentibus indiciis legitimis, verosimilibus, ac de jure approbatis tortus, crimen se perpetrasse confessus fuerit, sibi non præjudicat, etiamsi in confessione perseveraverit, & confessio indiciis subsequentibus confirmata fuerit. Passim tenent, torqueri non posse Doctores, personas in dignitate constitutas, minores quatuordecim annis, quibus tamen posset adhiberi ferula, senes decrepitos, mulieres prægnantes, nisi elapsis a partu diebus quadraginta. Aliæ quoque infirmitates corpori excusant a Tortura, quæ si allegentur, consuli debent Medici, quia agitur de corporali salute hominis, cujus cura ad Medicos pertinet 14.). Horum etiam judicium exquiri potest, an ex naturalibus causis, an vero ex remediis superstitiosis ac maleficio, Reus in Tortura non sentiat dolorem, ob-

dor-

14) L. 1. §. 1. ff. de Extraord. cognit.

dormiscat, intumescat, destituatur usu linguæ &c. 15.).

§. 86. Si quis primam Torturam sine confessione sustinuit, potest ea nonnunquam repeti, præsertim si crimen sit atrox, tortura jam illata sit levis, indicia vehementia nondum evacuata, vilis personæ conditio. Regulariter autem absque novis evidentioribus indiciis specie & substantia differentibus repeti non posse, passim traditur 16.). Nam priora indicia censentur in primis tormentis purgata: proinde si in repetitione illegitima Reus mortuus fuerit, Judex de homicidio tenetur. Certe repetitio tormentorum non fit ultra tertiam vicem: nam demum absolvendus esset Reus. Si autem in tormentis confiteatur crimen, debet confessionem ratificare alio die, saltem post viginti quatuor horas ad banchum juris extra conspectum tormentorum. Hoc intermedio tempore

Quando & quoties repeti possit tortura?

15.) De his maleficiis & remediis contra illa, videri potest PAULUS GRILLANDUS de Quæst. & Tortur. quæst. 4. JACOB. SPRENGER. mall. malefic. p. 3. q. 15. & 16.

16.) Ex L. 18. §. 1. ff. de Quæst.

non deberet detineri eodem carcere cum aliis carceratis, qui eum a ratificatione possent averrere. Ductus ad banchum juris, interrogandus est, an recordetur eorum, quæ heri confessus est: si affirmet, injungitur ipsi, ut in substantia repetat, quæ dixit: postea illi legenda est integra sua confessio per Notarium: quærendumque, an ea modo ratificet, an aliqua velit addere, vel revocare. Si Reus ratificet suam confessionem 17.); solet ipsi assignari brevis terminus duorum vel trium dierum ad faciendas omnes suas defensiones, & ad producendum omnia, quæ habet contra suam confessionem. Si vero revocet confessionem in tormentis factam, esset iterum torquendus sine aliis novis indiciis, quia confessio facta in tormentis facit novum indicium, quod sufficit ad novam torturam inferendam: & hoc modo deveniri potest ad tertiam torturam. Si quis autem nollet ratificare confessionem in tertia tortura factam, juxta communem doctrinam deberet absolvi:

17.) Hæc in Const. Carol. art. 5. vocatur vulgari idiomate *Uhrgicht.*

absolvi: Indicia enim censentur purgata per torturam.

§. 87. Si quis de proprio crimine confessus est, solet etiam de sociis criminis confessio extorqueri; quæ tamen confessio illis non præjudicat, sed solum facit aliquam præsumptionem; & si concurrant alia indicia, potest sufficere ad capturam. Regulariter quidem *de se confessi super aliorum conscientiis interrogari non debent* 18.): id tamen potest & solet fieri, quando agitur de criminibus Reipublicæ valde noxiis & exceptis, uti est crimen læsæ Majestatis, perduellionis, hæresis &c. vel de criminibus, quæ committi non possunt, aut solent sine socio: aut quando alii jam sunt de hoc consortio indiciis gravati. *Quæstio de Sociis Criminis.*

TITULUS VIII.
DE SENTENTIA.

Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 27. In Sext. 14. In Clement. 11.

§. 88.

OMnibus rite peractis, citandus est Reus ad audiendam sententiam, *Reus neque convictus, neque*

18.) C. 1. de Confession.

confes-sus,

tiam, quæ profetri debet in præsentia & in facie ipsius, a vinculis exempti. Si Reus, qui neque confessus, neque convictus fuit, absolvendus sit, citandus esset Accusator vel Fiscus. Absolutio autem vario modo fieri potest. Inprimis absolvitur quis ab ipso crimine, & *a tota causa*, tanquam repertus innocens, servatis servandis, factisque defensionibus, per sententiam definitivam, ut sic liberatus non possit de eodem crimine amplius molestari, nisi absolutus esset per collusionem vel prævaricationem, sive cum Judice, sive cum accusatore; nam extra hos casus obstaret Curiæ exceptio peremptoria rei judicatæ. Secundo absolvitur Reus *ab Observatione Judicii*, ob Judicem Jurisdictione criminali destitutum, ob ineptitudinem libelli vel Accusatoris 19.). Talis potest iterum accusari.

Vario modo absolvi potest,

§. 89. Tertio absolvi potest *ex defectu probationum*, indiciorum, quæ non aliter quam per torturam purga-

19.) Vid. Christian. Ferd. Harprecht de Absolutione ab instantia in civilibus & criminalibus.

gata sunt. Talis posset iterum accusari repertis integris probationibus 20.). Nam Judex in hoc casu potest quidem accusationis abolitionem facere, non autem ipsum absolvere a crimine 21.). Siquis autem absolutus fuerit a crimine deducto in Judicium per viam Exceptionis, posset iterum accusari: nam quæ per Exceptionem opponuntur, si sufficienter probentur, sufficiunt ad hoc, ut quis rejiciatur ab accusatione, vel testimonio ferendo, non autem, ut pœnæ ordinariæ subjiciatur, nisi crimen alio legitimo modo in judicium deducatur. Siquis a crimine civiliter deducto in judicium, forte ad recuperationem propriæ rei, absolutus fuisset, potest iterum accusari criminaliter, nisi fuisset pronuntiatum, quod delictum non fuerit commissum. Absolutus a crimine in foro pœnitentiæ, potest iterum accusari in foro externo. Imo

etiam

20.) Pro hoc casu varias distinctiones ponit Pellegrinus Prax. Vicar. p. 4. sect. 17. n. 11.

21.) Vid. Paulus Grillandus de Relaxat. carcerator. Rubr. de Absolutione innocentis. q. 2.

etiam quando delictum est mixti fori ita ut de eo cognoscere possit Judex Ecclesiasticus & secularis, potest absolutus vel punitus in uno foro, iterum accusari & puniri in altero foro quando a primo Judice non sufficienter fuisset punitus; quia cum diversæ pœnæ imponuntur per diversas leges, una non tollitur per aliam 22.) Si autem aliquis Judex imposuit pœnam mitiorem, quamvis puniri posset graviori pœna, non tamen propterea poterit alius Judex majorem vel minorem pœnam eidem irrogare pro eodem delicto 23.): imo Judex in condemnando mitiorem pœnam eligere & præferre debet 24.).

Aut condemnari sit præsens:

§. 90. Si sententia feratur condemnatoria, longe major, quam in causa civili, diligentia adhibenda est in examinandis probationibus & exceptionibus oppositis per Reum, ne imprudentiæ & præcipitationis notam in-

22.) C. 2. de Maledicis. C. 5. §. per hoc quoque. de Pœn. in 6. Scaccia de Judic. lib. 1. c. 12. n. 81. seqq. Guazzin. Defens. 2. c. 7. & Defens. 35. c. 11.

23.) Vid. Boerius Decis. 289.

24.) L. 42. ff. de pœn. C. in pœnis. & C odia. de R. J. in 6.

incurrat Judex. Si certa pœna in Jure Canonico non est imposita, potest Judex Ecclesiasticus imponere eam, quæ Jure Civili est statuta, modo Jus Canonicum illam non prohibeat. Ubi in Criminalibus conceditur Appellatio 25.), executio suspendi debet per decendium, quo tempore posset Reus appellare, nisi sit convictus simul & confessus; vel confessus solum, ita tamen, ut confessionem suam non revocaverit: talis enim nullibi potest appellare. Unde Judices sub pœna prohibentur 26.), differre executionem sententiæ, nec tolerare *provocare convictos, vel appellare confessos*, etiam sub obtentu intercedentium Episcoporum, Clericorum aut populi. Si contra Reum Clericum statuta est Degradationis pœna, privatur ille legitima executione

25.) A Judice, merum tantum Imperium habente ad Dominum Territorii, in Processu accusatorio & inquisitorio, extra Saxoniam appellari posse, tradit Berger Elect. Jurisprud. Crimin. part. 2. observ. 91. ad quæst. 5. Clariss. D. Sutor Elect. Jur. & for. concl. 21.

26.) L. 31. Cod. Theod. quor. appell. non recip. lib. 11. tit. 36.

tione ordinum & graduum Eccleſi-
ſticorum, quæ eſt *Degradatio verbalis*
actualis vero eſt executio depoſitionis
verbalis: executio autem actualis
degradationis fit tradendo Reum Cu-
riæ ſeculari, de quibus infra, ubi de
Pœnis.

Abſens poteſt etiam in contumaciam condemnari:

§. 91. Hæc de Reo præſente dicta
ſint. Si autem per contumaciam
abſens, debet inprimis conſtare de
corpore delicti, & ordinario modo
contra ipſum procedi, præviis indi-
ciis, diffamatione, citatione, cui in-
ſeritur tota ſeries delicti, de quo in-
quiritur: ſola enim contumacia non
facit, ut abſens habeatur pro con-
feſſo, quidquid de ſtatutis & mori-
bus variarum Provinciarum paſſim
dicant Autores. Si igitur poſt repe-
titas citationes Reus non comparet,
declaratur contumax, & ponitur in
bannum, quo nomine intelligitur
pœna, qua Reus perpetrati criminis
ob contumaciam in comparendo
coercetur proſcriptione ex Provin-
cia, juxta praxin variorum Tribu-
lium 27.). Habitis autem plenis pro-
ba-

27.) De Banno delicti & contuma-
agit ANDREAS GAILL de Pace pu-

bationibus, potest contumaciter absens etiam definitive condemnari, cujus sententiæ executio nonnunquam fit in effigie condemnati 28.). Audiendus tamen erit, si præsens vellet innocentiam suam probare, & probationes accusatoris elidere.

§. 92. Si in cotumaciam condemnatus, veniat in manus Judicis, in primis instruitur Processus super identitate & recognitione personæ ipsius: nec obstaret, si deprehendatur, erratum fuisse in Processu informativo circa nomen, vel patriam ipsius, modo constet, hunc esse eundem, de quo Inquisitio fuerat instituta. Si autem plena haberetur probatio criminis, non deberet propria ejus confessio extorqueri per torturam. Unde si hæc adhiberetur super manifestatione sociorum, receptatorum, vel aliorum criminum, deberet præmitti protestatio, quod Judex per interrogationes subsecutas non intendat præjudicium facere sententiæ ex plenis probationibus latæ, notorietati cri-

Nec opus postea est nova probatione criminis.

toto lib. 2. Haunold de J. & J. tom. 6. in fin.

28.) Joan. Andr. Fromman Dissert. de Execut. in effigie,

criminis, aut ejus confessioni ex statuto propter contumaciam inductæ. Cavebit igitur Judex, ne Interrogationes misceat, ipsum crimen principale, de quo in contumaciam condemnatus est, attingentes: nam juxta multos Autores censeretur Judex a sua protestatione recedere; & Reus, si in tortura negaret crimen, ac in negativa persisteret, censeretur crimen per torturam purgasse, saltem quoad pœnam ordinariam 29.) Ceterum quamvis varia Statuta velint, ut qui contumaciter absens condemnatus est, post præfixum aliquem terminum, non amplius audiatur, nisi *per evidentiam facti* innocentiam suam probet: nihilominus id solum intelligitur de ordinaria potestate Judicis inferioris, qui inconsulto Principe non potest revocare sententiam definitivam; nam si recurritur ad Principem, hic potest concedere novas defensiones, ut talis in contumaciam condemnatus, non tantum per evidentiam facti, sed etiam

per

29.) De hac re late agit Flaminius Chartarius tract. de Execut. sent. contumac. cap. 2. n. 57. seqq.

per ordinarias probationes possit ostendere innocentiam suam 30.).

§. 93. Absolutis omnibus, solet Promotor Fiscalis instare pro executione sententiæ. Ubi notandum, quod nullus Judex possit exequi sententiam, nisi videat Processum, ex quo formata fuit Inquisitio, & ex qua ad dictam sententiam processum fuit. Nam per solam sententiam non dicitur constare de crimine, cum ex ea non constet, omnia rite processisse, & servata fuisse servanda. Unde Judex secularis Clericum degradatum & sibi traditum non punit, nisi fiat sibi fides de Processu: nam ejusmodi Judex secularis non est merus executor, sed de Clerico degradato judicat tanquam de subdito suo. Excipitur plerumque crimen Hæresis, circa quod Judices seculares absque remissione Processus exequi debent sententias latas ab Inquisitoribus. Si executioni danda est sententia capi-

Sententia executioni danda est.

30.) Vid. Farinacius de Inquisit. lib. 1. tit. 1. quæst. 11. n. 47. §. verum post hæc. ubi impugnat rigidiorem opinionem allegati Chartarii.

talis, ſolicitus debet eſſe Judex de ſalute æterna rei condemnati: mittendi igitur ad eum ſunt Viri pii & docti, qui eum conſolentur, ad pœnitentiam animent, & devotis adhortationibus ad mortem Chriſtiana fortitudine ſubeundam inſtruant. Si Reus ex perturbatione animi, vel horrore ſupplicii ægre pia monita admittat, potius per breve tempus differenda eſt executio, ne cum diſpendio propriæ ſalutis & cum ſcandalo aliorum, deſperationis indicia præbeat.

Expenſæ Criminales, ſi Reus condemnatur:

§. 94. Facta executione ſæpe movetur quæſtio de Expenſis. Præter ea, quæ dicta ſunt in priore Sectione Tit. XXXII. §. 437. notandum, per *Expenſas Criminales* intelligi ſumptus Proceſſus Criminalis Inquiſitorii & Accuſatorii, vel erogatos in executionem ſententiæ Criminalis. Expenſæ Proceſſus erogatæ in Cognitionem & Deciſionem cauſæ, ſunt vel Judiciales, vel extrajudiciales, prout dictum de Proceſſu Civili. Has fert ille, in cujus commodum cedunt, vel qui earum temeraria cauſa dici poteſt. Unde Teſtibus ſumptus itineris ſuppeditat, qui eos pro-

du-

duxit: Reus semper refundit impensas in alimenta sua, aut defensionem factas: Actorum exemplum datur, vel transmissio decernitur sumptibus petentis. Reus juste condemnatus, pendente Inquisitione profugus aut mortuus, ejusque hæredes solvunt expensas omnes Processus; hæ enim expensæ non ad pœnam, sed rei persecutionem referuntur, proin ad hæredes transeunt. Easdem vicissim expensas præstat Accusator vel Delator calumniosus, aut Judex per injuriam aut ignorantiam procedens, qui sine legitimis indiciis incarcerans, vel torturæ subjiciens, incidit in pœnam Syndicatus. Fiscalis, de cujus calumnia non omnino constat, nullas fert expensas.

§. 95. Si quis ad indicia *legitima* incarceratus & tortus, nec probatione Accusatoris, nec propria confessione reus comprobatur, indiciis per tormenta purgatis; accusator fert expensas a se factas: accusatus alimenta ex suo persolvet, & carceris squalorem, quæstionumque dolores æqua mente feret; Judex autem ex ærario publico ad hos usus destinato Quæstionum expensas, lictorum spor-

Si absolvatur.

tulas &c. depromet. Ex eodem erá-
rio præstantur omnes reliquæ impen-
sæ Processus in subsidium, si scilicet
Reus vel ejus hæredes non sint sol-
vendo. Curabunt autem Judices, ne
nimii aut frustranei sumptus fiant per
longas moras 31.), taxas immodi-
cas, inutiles informationes e longin-
quo petitas, præsertim in criminibus
non capitalibus. Talem expensarum
excessum Dominus territorialis reji-
cere potest in ipsum Judicem consti-
tutum.

Expensæ Executionis.

§. 96. Expensas executionis præ-
stare solet Dominus territorii, aut
Magistratus, nisi hoc onus ex pacto
aut consuetudine devolvatur in a-
lium. Cum enim talis executio ar-
gumentum sit Jurisdictionis superio-
ris, & consequenter jus præbeat ad
per-

31.) Huc referenda L. 10. C. de Feri
ibi: *Provinciarum Præsides moneantur*
ut in quæstionibus latronum, nullum quo
dragesimæ tempus, nec venerabilem Pa
schæ diem existiment excipiendum, n
differatur sceleratorum proditio consti
rum, quæ per latronum tormenta qua
renda est: cum facillime & in hoc summ
Numinis speretur venia, per quod mul
torum salus & incolumitas procuratur

percipienda commoda Jurisdictionis, naturale est, ut idem sentiat etiam incommoda Jurisdictionis: cum boni publici interfit, ut crimina plectantur, æquum omnino videtur, ut ex collectis publicis ærarium ad istos fines constituatur: ex tali ærario exhibentur etiam sumptus, si examen testium, aut alius singularis articulus committi debet extraneo, vel præter ordinarium Judicem peritiores sunt consulendi 32.).

TITULUS IX.
DE CRIMINIBUS IN GENERE.

§. 97.

MULTI distinguunt inter Peccata, Vitia, Delicta, & Crimina. *Criminum* Ad evitandam sermonis obscuritatem, hoc loco ea omnia pro synonimis habemus, & potissimum utimur voce *Criminis*, quod constituit

32.) Hæc & alia de Expensis Criminalibus continentur in variis articulis Constitutionis Carolinæ Criminalis. Singularem Dissertationem de iisdem edidit Böhmerus senior.

materiam Judicii Criminalis. Hoc autem nomine intelligitur peccatum, sive delictum legi contrarium, accusatione & damnatione dignum, adeoque voluntarium & dolo admixtum. Ejusmodi Delicta alia dicuntur *Publica*, alia *Privata*, quæ distinctio hodie in Jure Canonico vix usum habet, cum omnia crimina censeantur Publica 33.), utpote in quibus proceditur ex officio, & quivis admittitur ad accusandum. Pariter nos non multum hodie moratur distinctio in Crimina *ordinaria* & *extraordinaria*, quæ distinctio non eodem sensu ab omnibus intelligitur. Aliqui 34.) ordinarium dicunt, quod habet certum criminis nomen, certa lege & certa pœna comprehensum: extraordinarium autem, quod nullum habet certum nomen, nullamque pœnam certa lege præscriptam, & ideo extra ordinem plectitur, venitque nomine *Stellionatus*.

Varie §. 98. Majorem usum habet distinctio Criminis in *Leve*, *Atrox* & *Atrocissimum*.

33.) Effectus varios criminum publicorum recenset Haunoldus de J. & J. tom. 6. tr. 2. controv. 1.

34.) Decianus lib. 5. c. 2.

ciſſimum. Univerſim Delicti gravitas deſumitur ex qualitatibus & circumſtantiis ratione perſonæ offenſæ vel offendentis, damni illati, armorum, partis corporis læſæ, cauſæ, loci, temporis &c. In foro Canonico gravitas delicti ponderatur ex eo, quod poſt peractam pœnitentiam remaneat infamia, vel aliquid de pœna, impediens Ordinum executionem, Beneficii retentionem &c. talia ſunt Homicidium, Hæreſis, Simonia, Duellum, Mutilatio, magna ſanguinis effuſio, Adulterium & alia delicta carnis. In foro ſeculari potiſſimum deſumitur gravitas delicti ex pœna per leges impoſita: unde atrociſſimum judicatur, ubi imponitur mors naturalis & quidem qualificata, ut quis rotæ implectatur, comburatur &c. In quibusdam tamen Provinciis exacerbantur pœnæ ob crimina, quæ quidem in ſe non ſunt atrocia, nimis tamen invaleſcerent, niſi gravioribus pœnis homines abſterrerentur, uti ſunt furta, delicta militaria &c.

§. 99. Crimina alia dicuntur *Noto-* *Diviſio-*
ria, alia *Occulta.* alia ſunt *mere Eccle-* *nes.*
ſiaſtica, quorum cognitio reſervata eſt tantummodo Judicibus Eccleſia-

sticis, uti Hæresis, Simonia; alia *mere secularia*, uti homicidium, furtum, de quibus cognoscunt Judices seculares, si a Laico committuntur: alia sunt *Mixti fori*, de quibus uterque Judex, tam Ecclesiasticus, quam secularis judicare potest, uti Adulterium, Concubinatus &c. 35.). Aliqua consistunt *in committendo*, alia in *omittendo*, prout scilicet contraria sunt legi prohibenti, vel præcipienti. Alia dicuntur *Excepta*, alia non *excepta*: excepta sunt, quæ sub generali legis dispositione non continentur; sed semper excepta censentur, uti crimen hæresis, læsæ Majestatis, falsæ monetæ, simoniæ, fraudatæ annonæ, sacrilegii, maleficii; in his Accusatores & Testes admittuntur, qui per leges communes excluduntur.

Quasi delictum. §. 100. Præter vera crimina datur etiam *quasi delictum*, culpa commissum, quando quis non omnem adhibuit diligentiam, quam adhiberi jubent leges. Quatuor species enumerat JUSTINIANUS 36.), nempe imperi-

35.) Vid. Sect. I. Tit. I. §. 96.
36.) Lib. 4. Instit. tit. 5. De obligat. qu

peritia male judicantis ; dejectio vel effusio ex cœnaculo ; positio vel suspensio ejus, quod transeuntibus periculo esse possit ; denique damnum in navi, caupona vel stabulo datum.

§. 101. Præterea criminis rei sunt, non ii tantum, qui ipsi ea perpetrarunt, sed etiam qui participes se fecerunt mandato, consilio, auxilio, non impediendo, si sit potestas in delinquentem, vel specialis obligatio erga læsum. Sub nomine criminis plerumque non intelligitur conatus Peccandi, quando agimus de pœnis ab externo Judice infligendis : *Quid enim obfuit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum* 37.)? Limitationes dabuntur in sequentibus Titulis. Si vera loquitur BODINUS 38.), quidam capite luit cogitationem de FRANCISCO I. Rege Gallorum occidendo. *Participes Criminis.*

§. 102. De Criminibus in genere notanda est regula 39.) : *Delictum suum tenet autorem*, ne scilicet ulterius *Delictum tenet*

quasi ex delicto nasc. Videantur Commentatores ad hunc titulum.

37.) L. 1. in fin. ff. quod quisque juris &c.

38.) L. 22. C. de pœnis.

39.) De Repub. lib. 2. c. 5. & lib. 4. c. 7.

rius progrediatur metus, quam re periatur delictum. Unde quand confiſc ntur omnia bona filii, non cenſentur confiſcata bona content in peculio profectitio, etiamſi pate liberam illius adminiſtrationem con ceſſerit, quia revera non ſunt bona filii, cum quoad proprietatem, & quoad uſumfructum ſpectent ad pa trem. In dubio an dominus ſeu pa terfamilias teneatur pro delicto ſu famuli? reſponderi ſolet, dominum poſſe nonnunquam ex culpa ſua te neri civiliter pro intereſſe partis la ſæ, non autem criminaliter, niſi ve ſuam autoritatem delicto accommo daſſet, vel poſſit præſumi gnarus im probitatis ſervorum.

Suum autorem. §. 103. Si Patris bona confiſcan tur, juxta leges 40.) ſervatur pars dimidia liberis: hodie confiſcationes bonorum non facile habent locum, niſi in crimine Majeſtatis & paucis aliis. Si pater exhæredatur, poſt mortem ejus liberi poſſunt alimenta petere ab avo, & jus prætendere ad ejusdem hæreditatem, quippe offi cium avi circa nepotes ex officio pa tris

40.) L. 10. C. de bonis proſcript.

tris ſerga filium pendet 41.): proin delictum patris non ſemper tranſit in filium. Viciſſim ſi propinqui ulterioris gradus contendant, occiſorem patris vel fratris ab occiſi hæreditate ipſis legibus arceri 42.), proin etiam ejus filium eodem hæreditario jure excludi 43.): quamvis paternum crimen gentilitio ſuo, familiæque juri regulariter neutiquam officiat; nihilominus in hoc caſu parricidii, hæreditarium jus ad ulterioris gradus agnatos translatum eſſe, ſæpius judicatum eſt 44.): qui ſi non adſint, hæreditas ab occidente & ejus filio, tanquam indignis aufertur, & ad fiſcum trahitur 45.). Si privati cives vel Gubernatores civitatis deliquerunt, ipſa communitas ſolet puniri pœna pecuniaria, quando ratione talium delictorum aliquo modo culpabilis eſt. In atrociſſimis vero cri-

41.) L. 6. ff. de collatione.
42.) L. 9. ff. de Jure fiſci. L. 7. §. 4. ff. de bonis damnat.
43.) L. 26. ff. de leg. Corn. de fals.
44.) Renat. Choppinus de privileg. ruſtic. lib. 3. c. 11.
45.) Boerius p. 1. deciſ. 25. Conferantur dicta de Jure rer. Eccleſ. ſect. 4. §. 528.

criminibus, ut læsæ Majestatis, pu
nitur quandoque civitas demolitione
aut ademptione privilegiorum, quan
doque Censuris Ecclesiasticis, ut la
terdicto; quandoque statuuntur mo
numenta perpetuæ alicujus infamiæ
aut imponuntur varia tributa. Ex
empla talium Civitatum, quæ adhuc
hodie temeritatis suæ contra Catho
licos exercitæ pœnas luunt, habe
mus in vicinia. Unde patet, Del
ctum præter autorem suum, tenere
non nunquam alios quoad aliquem
effectum pœnalem.

Utilitas Reip. ex delictis.

§. 104. Crimina haud dubie pessi
mo veneno inficiunt Rempublicam
nihilominus sicut venena usum præ
stant pro hominum valetudine ex ar
te Medicorum; ita etiam crimina
utilitatem nonnunquam afferunt Re
publicæ ex usu proborum. Nam, u
monet Poëtus Thrasea 46.), *ap
probatum est, leges egregias, exempla
honesta apud bonos ex delictis aliorum
gigni.* Sic Oratorum licentia Cician
rogationem; Candidatorum ambitus
Julias leges; Magistratuum avaritia

Cal-

46.) Apud Tacitum Annal. lib. XV
c. 20.

Calpurnia scita pepererunt. Eadem ratione etiam hodie, ne improba quorundam facta ad alios propagentur, per utilissimas leges validissimi ponuntur obices.

§. 105. Delicta a persecutione criminali regulariter eximuntur *Præscriptione* viginti annorum. His a tempore commissi delicti elapsis, etiam minorennis non habet restitutionem in integrum, ut possit accusare 47.). Jure communi Romano hæc præscriptio non habere locum dicitur in crimine Apostasiæ, suppositi partus & parricidii. Passim leges pro hac exceptione allegari solitæ ita intelliguntur, ut etiam post viginti annos dicta tria crimina in judicium deduci & puniri possint: alii tamen censent, ista non nisi vicennali præscriptione tolli, ita ut per particulam *fere* 48.) solummodo excludatur præscriptio quinque annorum 49.). Ubi tamen Jure Statutario, vel consuetudine, ne

Delicta tolluntur Præscriptione,

47.) *Auxilium in integrum restitutionis executionibus pœnarum paratum non est.* L. 37. ff. de Minorib.

48.) In. L. 12. C. ad Leg. Corn. de falsis.

49.) Cujacius lib. 4. observ. 14. Gothofredus ad dict. L. 12. lit. c.

ne quidem viginti anni ad præscriptionem atrociſſimorum criminum ſufficiunt, obſervari debebit hic rigor 50.). Nam Statibus Imperii poteſtas ſtatuendi aliquid contra jus commune JUSTINIANI competit. Peccata autem carnis, ſaltem quæ non puniuntur morte, præſcribuntur intra quinque annos, qui currere incipiunt a die conſummati criminis; nam ſi ſint crimina ſucceſſiva, ut matrimonium invalidum, hæreſis &c. eo gravius erunt punienda, quo longiori tempore continuantur 51.). Si per citationem, ſeu inquiſitionem interrumpitur præſcriptio, hæc iterum de novo currere incipit a tempore ultimi actus judicialis 52.). Actiones civiles, per quas ex crimine agitur ad privatam utilitatem, extinquuntur juxta naturam aliarum actio-

50.) Conſulatur Codex Criminalis Bavariæ p. 2. c. 11. §. 4. ubi præſcriptio non admittitur in quibusdam criminibus ibi expreſſis, & univerſim in atrociſſimis.

51.) TIRAQUELLUS de pœn. temper. cauſ. 29.

52.) De caſu decretæ incarcerationis videri poteſt apud CLAUD. EXPILLI. Plaidoyè 22.

actionum : fiscus tamen post viginti annos non potest exigere pœnas condemnatorum 53.).

§. 106. Hanc præscriptionem Criminum in æquitate naturali fundatam credimus. Unde PLINIUS 54.) *reddere pœnæ post longum tempus plerosque jam senes, & quantum affirmatur, frugaliter modesteque viventes, nimis severum arbitrabar.* Quibus verbis innuitur genuina ratio statuendi hanc præscriptionem, scilicet quia finis, ob quem infertur pœna, jam obtentus censetur apud eos, qui per tot annos abstinuerunt a crimine olim perpetrato, & vere emendati præsumuntur, ut proin Respublica nullam turbationem ab iis in posterum timere debeat. Habet igitur hæc Præscriptio locum in criminibus occultis ac manifestis, & propria confessione notis, ita ut Judex ex officio præscriptionis exceptionem, si de illa ex actis constat, licet Reus eandem non opposuerit, supplere teneatur 55.)

Quæ fundatur in æquitate naturali:

§. 107.

53.) *In omnibus fisci quæstionibus, viginti annorum præscriptio custoditur.* L. 13. ff. de diverf. tempor. præscript.

54.) Lib. X. Epist. 40.

55.) Ita resolvit Dicasterium Palatinum

Et habet locum etiam in foro Canonico.

§. 107. Moveri potest quæstio, a Præscriptio criminum, etiam in foro Juris Canonici locum habeat? certum est, ejusmodi Præscriptionem non dari in foro conscientiæ quoad pœnas spirituales. In foro autem externo, teneri potest cum Boerio 56.), præscriptionem non currere quoad crimina impedientia executionem Ordinis, vel Beneficii retentionem, etiam post peractam pœnitentiam, puta si homicidium commisisset, vel adeptus esset ordines aut beneficium vitio simoniæ 57.); in aliis vero criminibus, & quoad alias pœnas, videtur currere viginti annorum præscriptio, quia Lex Civilis in hoc per canones non videtur correcta 58.).

Alii modi impediendi criminalem persecutionem.

§. 108. Alius modus, quo quis liberatur a criminali persecutione, est *Abolitio* criminis per actum gratiæ Principe

---

referente Ill. D. De Weittenau Consil. crimin. 94.

56.) Decis. 26. n. 7.

57.) C. 21. de Accusat.

58.) Non attingimus praxin Protestantium quoad aliquos actus Pœnitentiæ publicæ apud ipsos consuetæ, de qua Lexser. specim. 515. med. 9.

Principe concessa. Item *Transactio*, si attenditur solum privatum interesse. Item *Mors* Rei, excepto crimine Perduellionis : denique *sententia* absolutoria.

TITULUS X.
DE POENIS FORI ECCLESIASTICI.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 37. 38. *In Sext.* 9. 10. *In Clement.* 8. 9. *In Extrav. Joan. XXII. Tit.* 12. *In Extrav. com. Lib. V. Tit.* 8. 9.

§. 109.

ANTEQUAM de natura singulorum Delictorum in specie agamus, necesse est, ut de pœnis, quæ singulis sunt propriæ, in genere referamus aliquas Juris doctrinas. Pœna est *justa delicti coercitio*, eo fine per leges constituta, ut coerceantur delinquentes, & deterreantur alii, ne in posterum salus & tranquillitas Reipublicæ simili delicto turbetur. Regula Juris est : *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus* 58.*). Ubi repe-

Pœna est justa delicti coercitio :

I

*) 58.) C. 23. de R. J. in 6.

reperitur delictum, ibi sit pœna, ubi noxia est, peccata suos teneant autores, & nemo alieni criminis constituendus succeſſor 59.). Ubi autem filii sustinent aliquem effectum paterni delicti, juxta dicta Tit. præced. hæc proprie non est pœna respectu filiorum; sed infligitur ob timorem, ne filii sequantur improbitatem patris, & ob atrocitatem criminis, ut pater magis puniatur in suis filiis. Ampliſſimus esset campus recensendi pœnas, tum in aliis regionibus, tum præcipue in Germania olim usitatas hodie autem extra forum & usum positas 60.). Enumeramus breviter quæ hodie obtinent in Foro Ecclesiastico, dein etiam in Foro seculari.

Judici Ecclesiastico commendatur severitas.

§. 110. Circa pœnas Fori Ecclesiastici Judex non cogitet, se magis Deo placere, ejus Clementiam imitando quam pœnarum severitatem sectando. *Quæ ista bonitas? quæ ista misericordia, uni parcere, & omnes in discrimen adducere? pollutur enim ex uno peccatore*

59.) L. 26. ff. L. 22. C. de pœnis.

60.) Vid. Alexander ab Alexandro genial. dier. lib. 3. c. 5. Bodinus de Republ. lib. 6. c. 6. Heineccii Element. Jur. Germ. lib. 2. Tit. 30.

catore populus, ſicut ex una ove morbida univerſus grex inficitur 61.). Unde Concilium Tridentinum 62.) graviſſimis verbis ſeveritatem diſciplinæ Eccleſiaſticæ inculcat. Improbant quidem Sacri Canones nimiam ſeveritatem, nam *ſi DEus benignus eſt, ut quid Sacerdos ejus auſterus* 63.)? ſcilicet quando obſervando lenitatem, ſpes eſt correctionis, quæ tamen non ſufficienter deprehenditur ex *brevi lacrymula, atque ad tempus parata* 64.): facilitas enim veniæ *incentivum tribuit delinquendi.*

§. 111. In Foro Eccleſiaſtico præcipuum locum obtinent Pœnæ Medicinales, quæ emendationem delinquentis intendunt, dicunturque *Cenſuræ.* Hoc nomine intelligitur Pœna ſuræ, ſpiritualis & medicinalis, qua poteſtas Eccleſiaſtica fideles ſibi ſubditos propter delictum & contumaciam uſu quorundam bonorum ſpiritualium privat, donec à contumacia recedant,

Pœnæ Fori Eccleſiaſtici ſunt Cenſuræ.

61.) C. 17. diſt. 45.
62.) Seſſ. 6. c. 3. & Seſſ. 14. de Reform. in Procem.
63.) C. 12. XXVI. q. 7.
64.) C. 33. XXIII. q. 4.

Species Censurarum sunt Excommunicatio, Suspensio & Interdictum 65.) Hujus loci non est, ut totam Juris Canonici & Theologiæ Moralis doctrinam de his Censuris accurate discutiamus: pauca Institutionibus his convenientia breviter attingemus.

Quas ferre possunt Judices ordinarii

§. 112. Potestatem ferendi Censuras reliquit Christus in Ecclesia, dum dedit Apostolis potestatem ligandi & solvendi: eaque usi sunt Apostoli 66.) Ferri potest a summo Pontifice in tota Ecclesia contra omnes fideles: a Episcopo contra Diœcesanos sibi subditos: a Prælatis Regularibus contra suos Regulares subditos 67.): & universim ab iis, qui exercent Jurisdictionem quasi Episcopalem, uti Capitulum Sede vacante. Qui habent Jurisdictionem delegatam vel ordinariam quidem, quæ tamen ab Episcopo restringi potest, qualem habet Vicarius Generalis; debent potestatem suam desumere ex literis delegationis, vel ex concessione officii. Mortui possunt declarari Censura affecti,

65.) C. 20. de V. S. C. 1. & 13. de sent. excom. in 6.
66.) I. Cor. V. 5. I. Timoth. I. 20.
67.) C. 10. de Major. & Obed.

fecti, ſi impœnitentes fuerunt mortui. Quod cenſura ferri poſſit etiam ob delictum mere internum, vix perſuadet doctrina a P. CARDENAS fuſe tradita 68.).

§. 113. In Cauſis judicialibus ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, non facile ferendæ ſunt Cenſuræ, niſi contumacia aliis mediis frangi non poſſit 69.). Unde mox primis citationibus aut decretis jungendæ non ſunt minæ Cenſurarum. Si hæ feruntur a Judice, præmittenda eſt monitio, regulariter trina, & ſententia in ſcriptis expedienda cum expreſſione cauſæ, ut omnia *debita maturitate* fiant 70.). Per legem impoſitæ Cenſuræ ſunt vel ferendæ, vel latæ ſententiæ: hæ ultimæ opus non habent prævia monitione, quia ipſa lex vicem monitionis ſupplet: nihilominus ut effectum ſortiantur pro foro externo, requiritur declaratio Judicis. Dividitur etiam Cenſura in Reſervatam, & non reſervatam. Quæ fertur ab homine, communiter reſervata eſt ſuo autori, vel ejus Superiori aut Succeſſori.

Ad frangendam contumaciam.

68.) In Criſi Theol. diſſert. 34.
69.) Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 3. de Reform.
70.) C. 1. de ſent. Excom. in 6.

Quæ a Jure est, & nemini expresse reservata, absolvi potest ab Episcopo pro foro externo, & a proprio Parocho in foro conscientiæ. In multis Diœcesibus, uti in Eustettensi, reservata est Episcopo omnis Excommunicatio major. In articulo mortis quilibet Sacerdos ab omni Censura absolvere potest, saltem cum reincidentia.

Violans Censuram incurrit Irregularitatem:

§. 114. Omnibus Censuris commune est, ut eas violans incurrat Irregularitatem 71.). Hæc non tollitur per Clausulam in Bullis inseri solitam, *absolventes te a Censuris*: Irregularitas enim non per absolutionem, sed per dispensationem tollitur. Si quis existimat, Judicem non habere causam legitimam inferendi Censuram, mox ab ipsis Censuræ ferendæ minis appellare debet, cum ipsæ hæ minæ jam præbeant gravamen, & materiam appellandi, ita ut appellatio Censuram præcedens liget manus Judicis, & sententiam Censuræ sequentem annullet: si vero Censura actu sit lata, frustra interponitur appellatio; hæc enim non suspendet Censuræ

71.) De hac sufficiant dicta Hierarch. Eccles. tit. II.

ſuræ effectum 72.), niſi injuſtitia Cenſuræ ſit adeo evidens & notoria, ut ſententia non tantum ſit injuſta, ſed etiam nulla & irrita: de tali enim loquitur GELASIUS Papa 73.), ubi de ſententiis Dioſcori hæretici, a Chalcedonenſi Synodo damnati, & exautorati, item Acacii ſimiliter a ſede ſua depoſiti, ſermo eſt, qui utique notorie omni Jurisdictione privati fuerant. Si talis notorietas non detur, obtinet communis regula: *Sententia Paſtoris ſive juſta, ſive injuſta fuerit, timenda eſt* 74.). Qui igitur ſe injuſte Cenſura affectum credit, ſaltem pro foro externo humiliter ſe tanquam cenſuratum gerere debet; nam *ſi humiliter ſuſtinet, humilitatis merito recompenſat excommunicationis damnum* 75.).

§. 115. Regulariter autem a Cenſura excuſat ignorantia facti aut juris, quæ excuſat a peccato mortali: unde non excuſat ignorantia craſſa aut ſupina 76.). MARTINUS V. in *Regulariter a Cenſura excuſat ignorantia.*

72.) C. 20. de ſent. Excom. in 6.
73.) C. 46. XI. q. 3.
74.) C. 1. ibid.
75.) S. Thom. in 4. d. 18. q. 2. a. 1. quæſtiunc. 4.
76.) C. 2. de Conſt. in 6.

Concilio Constantiensi indulget, quod nemo deinceps a communione alicujus, prætextu Censuræ Ecclesiasticæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, ac Interdictum Ecclesiasticum observare, nisi Censura hujus fuerit in vel contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam, communitatem, aut locum certum, vel certa, a Judice publicata, vel denunciata specialiter & expresse. Subjungitur dein, vitandum etiam esse notorium Clerici percussorem, licet denuntiatus non fuerit 77.).

Prima Censuræ species est Excommunicatio.

§. 116. Hæc de Censuris in genere dicta

77.) Constitutio Concilii Basileens. inserta Concordatis Galliæ §. 21. inter vitandos numerat omnes, quos notorie in excommunicationis sententiam constiterit incidisse. Nos in his partibus inhæremus Extravaganti MARTINI V. quæ olim multis fuit incognita, & solum a S. ANTONINO relata: nunc autem ex Manuscriptis Actis vulgata, deprehenditur comprehensa esse in Concordatis Germanicæ Nationis & MARTINI V. Cap. 7. apud HERMAN. VON DER HARDT Conc. Constant. tom. I. part. 24. fol. 1066. seq. HARZHEIM Conc. Germ. tom. 5. f. 133.

dicta ſufficiant 78.). Pauca de ſingulis Cenſuris ſubnectimus. Primam eſſe diximus *Excommunicationem*, qua Chriſtianus a communione Eccleſiæ quoad fructum & ſuffragia ejus, & a convictu fidelium excluditur. *Vitandis*, os, orare, vale, communio, menſa negatur; exceptis quibusdam actibus hoc verſiculo contentis: Utile, Lex, humile, res ignorata, neceſſe.

§. 117. Effectus Excommunicationis merito metuendi ſunt. I. privat poteſtate ſuſcipiendi aut conferendi Sacramenta. II. Eccleſiæ ſuffragiis, ſive omni fructu fidelibus ex publicis Miniſtrorum Eccleſiæ Sacrificiis & orationibus per modum impetrationis aut ſatisfactionis proveniente. III. Omni Jurisdictione Eccleſiaſtica. IV. Communicatione forenſi, ut non *Effectus Excommunicationis.*

78.) Qui plura petit, accurate ea examinata reperiet apud SUAREZ tom. 5. qui agit de Cenſuris. ÆGID. DE CONINCK de Sacram. & Cenſur. tom. 2. Diſp. 13. ſeqq. FERD. DE CASTRO PALAO Oper. Moral. part. 6. STEPHAN. DE AVILA de Cenſur. Eccleſ. Item apud omnes Theologos Morales, & Juris Canonici Interpretes ad Tit. de ſententia Excommunicationis &c.

possit esse Judex, Procurator, actor aut testis. V. Communicatione cum fidelibus in civili & humana conversatione. VI. Sepultura Ecclesiastica. VII. Reddit irrita Rescripta Apostolica ab excommunicato impetrata. VIII. Excommunicatus prohibetur celebrare Divina Officia, aut iisdem interesse. IX. Fit inhabilis ad acquirenda Beneficia Ecclesiastica. X. Si quis per annum in excommunicatione obduratus permanserit, nec monitus voluerit resipiscere, contra eum tanquam suspectum de hæresi procedi potest. XI. Is, qui cum excommunicato non tolerato extra casus permissos communicat, incurrit Excommunicationem minorem. Hæc *minor* privat perceptione Sacramentorum. Si autem quis cum excommunicato communicaret in crimine criminoso, ob quod excommunicatio lata est, ipse etiam incurreret excommunicationem majorem.

Sensus Instrumenti Pacis Osnabrugensis.

§. 118. Ex his effectibus Excommunicationis, & tradita distinctione inter Excommunicatos tolerato & vitandos, facile intelligitur id, quod in Instrumento Pacis Osnabrugensis

genſis 79.) diſponitur, ut Epiſcopi in locis, ubi anno 1624. in poſſeſſione exercitii Jurisdictionis Eccleſiaſticæ fuerunt, in exigendis reditibus, Decimis aut penſionibus contra Proteſtantes non procedant ad excommunicationem, niſi poſt tertiam demum denuntiationem. Proteſtantes Scriptores non capiunt hanc conſtitutionem, ſed rident has minas utpote Pontificiis Cenſuris jam aſſueti, & Romano fulmine ſingulis annis per Bullam Cœnæ afflati. Cenſeo tamen, notabilem eſſe effectum hujus Articuli Pacis: quamvis enim Proteſtantes ſint excommunicati, ſunt tamen tolerati in Germania; unde omnes Catholici libere exercent commercia, & converſantur cum illis. Si autem ex dicta cauſa, ſcilicet ob negatos cenſus debitos, poſt trinam monitionem, nominatim & publice declarantur excommunicati, tunc etiam Catholicis prohibita erit omnis converſatio & commercium cum illis: nec ejusmodi excommunicati Proteſtantes habebunt perſonam ſtandi in judiciis ſaltem coram Judice Catholi-

co

79.) Art. V. §. 48.

co, quem vellent adire tanquam Actores: qui plane notabiles sunt effectus talis excommunicationis 80.).

Excommunicatio non fertur contra communitatem.

§. 119. Ab aliis Censuris id singulare habet Excommunicatio, quod non feratur contra *Communitatem* 81.), in qua plerumque erunt aliqui innocentes, qui tantis pœnis non debent luere aliorum delicta. Si omnes essent rei, excommunicatio ferenda esset in plures vel omnes, ut sunt singuli, non autem in omnes, prout constituunt communitatem; nam delicta non sunt multitudinis, sed singularum personarum. Excommunicatio lata pro delicto futuro, forte contra Concubinarios, personam certam attinget per ipsum delictum perpetratum. Propter delictum præteritum non solet ferri excommunicatio, nisi accedat contumacia & inobedientia, post præviam monitionem; neque pro causis levibus, ne magis contemnatur, quam formidetur 82.).

§. 120.

80.) Idem observatum est de Jur. Rer. Eccles. Sect. III. §. 75.

81.) C. 5. de sent. excom. in 6.

82.) Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de Reform. ubi nominatim agit de Excommunic.

§. 120. Forma Excommunicationis & Ceremoniæ recenſentur in Pontificali, præcipue ſi ſit excommunicatio ſolennis, quæ dicitur ANATHEMA, & ad majorem aliorum terrorem varias imprecationes continet. Beatus PETRUS DAMIANI 83.) notat abuſum Curiæ, quod cunctis fere Decretalibus paginis ANATHEMA ſubjungatur, dicendo, quisquis hæc vel illa non fecerit, ANATHEMA ſit. Ubi advertit B. PETRUS, *quam lubrica, quam præceps ſubito ruendi procuretur occaſio, ut ante quis in æternæ mortis barathrum corruat, quam ſe vel leviter impegiſſe cognoſcat, & ſubſtratæ quodammodo tendiculæ jam pes ejus innectitur, dum ſe liberis adhuc incedere greſſibus arbitratur* &c. &c. Si autem in negotio gravis momenti, præcipue in cauſa fidei, ejusmodi anathemata accenſis cereis projectis & conculcatis, ſonantibus campanis adhibeantur, id potiſſi-

Solennis Excommunicatio dicitur Anathema.

---

tione ad finem revelationis, de qua re fuſe tractat THEOPHILUS RAYNAUDUS De Monitoriis Eccleſiaſticis.

83.) Lib. 1. epiſt. 12. De Imprecationibus, quæ adduntur Diplomatibus, teſtamentis, fundationibus &c. agit MABILLONIUS de Re Diplom. lib. 2. c. 8.

potissimum intenditur, ut major ecc fusio, graviorque terror excommu nicato injiciatur, & alii ejus exem plo perterriti, Ecclesiæ promptius obediant.

Variæ absolutionum formulæ.

§. 121. Siquis propter manifestam offensam excommunicatus, petat absolutionem, ante omnia satisfacere competenter debet, & jurare de parendo mandatis Ecclesiæ & ipsius absolventis. Formula absolutionis publicæ continetur in Pontificali, & in Ritualibus Diœcesanis: ceremoniæ ibi præscriptæ raro usurpantur. Sæpe datur Absolutio ad cautelam, si dubium sit, an absolvendus sit excommunicatus, sive an absolvens habeat facultatem absolvendi, continetur que in his verbis: *in quantum possum & tu indiges.* Ad cautelam solet absolutio dari in ordine ad certum actum exercendum, qui ab excommunicatis peragi nequiret. Sic ante Electionem absolvuntur, qui jus eligendi habent: & a Pontifice absolvuntur, qui aliquam gratiam vel privilegium obtinent, quod stante excommunicatione acquiri non potest. Valet hæc absolutio solummodo ad illum actum in Rescripto ex-

expreſſum. Alia appellatur *cum reincidentia*, quæ habet hanc limitationem, ut niſi quis intra tale tempus hæc vel illa impleverit, in eandem Cenſuram reincidat: talis datur in articulo mortis, vel cum mandato, ut ſe præſentet Ordinario, aut parti læſæ ſatisfaciat &c.

§. 122. Excommunicationes ſunt plurimæ, quarum enumeratio excederet deſtinatam molem hujus opuſculi 84.). Præ aliis notandæ ſunt illæ, quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini, quæ ſingulis annis Feria quinta Majoris Hebdomadæ, Romæ innovantur. Cenſentur hæ excommunicationes latæ ab homine, non a lege, quia Pontifex ſemper vocat *Proceſſus*, *Sententias* &c. Nihilominus vim ſuam non perdunt moriente Pontifice, ſed obligant, donec novus Pontifex aliud decreverit. Obtinet hoc a tempore Pii V.

Excommunicationes in Bulla Cœnæ.

a

84.) Ingentem numerum recenſet Summa Sylveſtrina verb. *Excommunicatio* VII. ſeqq. Suarez de cenſuris diſp. 21. ſeqq. Antonius Ninus in Compendio de Eccleſ. Cenſuris ex Theſauro Gregorii Sayri lib. 3. Felicianus de Cenſur.

a quo tempore additur hæc clausula: *Volentes præsentes nostros Processus, ac omnia, & quæcunque his literis contenta, quousque alii hujusmodi Processus a Nobis, aut a Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.* De illis, quæ ad præsens nostrum institutum, & ad nostras Regiones pertinere videntur, redibit sermo, quando agetur de Delictis in specie, ob quæ ejusmodi Excommunicationes ferantur.

Secunda Censuræ species est Suspensio,

§. 123. Altera Censuræ species est *Suspensio*, per quam hoc loco, ubi ea consideratur tanquam pœna medicinalis, intelligitur Censura Ecclesiastica, qua Minister Ecclesiæ impeditur, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aliave Ecclesiastica potestate utatur, donec posita contumacia absolvatur. Pleraque quæ diximus de Censura in genere, & de Excommunicatione, etiam conveniunt Suspensioni, quatenus hæc Censura est.

Ejus varii effectus.

§. 124. Suspensio alia est *ab Officio*, quæ privat omni usu Ordinis & Jurisdictionis spiriualis: alia *a Beneficio*, quæ possessorem Beneficii impedit,

dit, ne utatur jure percipiendi fructus Ecclesiasticos, quod habet ratione Beneficii: nonnunquam utraque conjungitur: in dubio declaratio facienda est a Judice legitimo ex verbis aut intentione suspendentis Legis vel hominis. Suspensio non tantum in singulas personas, sed etiam in totam communitatem fertur, ut communitas est, & redundat in singulos, prout constituunt unum corpus collegii, quod communi consilio & autoritate res communes administrat, quale est Capitulum Ecclesiæ Cathedralis. Qui exercet actum ratione suspensionis sibi prohibitum, fit irregularis: si autem est publice & nominatim denuntiatus, nemo cum ipso communicare potest in actu ipsi prohibito.

§. 125. *Interdictum* constituit tertiam speciem Censuræ Ecclesiasticæ, quæ prohibet usum quarundam rerum divinarum, ut fidelibus communem. *Locale* dicitur, quod directe fertur ad locum, quia in eo prohibentur fieri divina officia secundum modum a Canonibus præscriptum. *Personale* immediate dirigitur ad per-

Tertia species est Interdictum:

sonam, eique interdicit certum quen-
dam usum divinarum rerum; non au-
tem determinatur ad certum locum.
Huc pertinet prohibitus ingressus in
Ecclesiam. Ratione loci *generale* est,
quod in aliquem locum quasi gene-
ralem, & plura partialia loca com-
plectentem dirigitur, uti est Regnum,
Provincia, Diœcesis, Civitas, Villa,
Castrum 85.). *Speciale*, quod diri-
gitur tantum in unam Ecclesiam, vel
in plures ut singulas, quando inter-
dicuntur omnia templa alicujus loci.
Ratione personæ Interdictum *generale*
dicitur, quod respicit aliquod cor-
pus politicum collectivum plurium
personarum, & personas singulas,
solum ut sunt partes talis communi-
tatis 86.). *Particulare* autem est, quod
in determinatam, vel determinatas
personas fertur, ita ut ad singulas
per se, & ad omnes per modum plu-
rium tendat.

Hujus effectus, §. 126. Interdictum aliud est *totale*
quod simpliciter fertur quoad omnes
effectus sine ulla determinatione
aliud

85.) C. 17. de V. S.
86.) Exemplum habemus in C. 16. de
sent. Excom. in 6.

aliud *partiale*, quod fertur quoad unum, vel alium effectum. Effectus autem ſunt I. *Privatio Sacramentorum*, excepto Baptiſmo, & Confirmatione 87.); Pœnitentia 88.); & ſacro Viatico morientium 89). II. *Divinorum officiorum prohibitio.* Hic rigor ita temperatus eſt, ut *ſingulis diebus in Eccleſiis & Monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia dicantur divina officia ſicut prius: ſubmiſſa tamen voce & januis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis, & campanis etiam non pulſatis... In feſtivitatibus vero Natalis Domini, Paſchæ ac Pentecoſtes & Aſſumptionis Virginis glorioſæ, campanæ pulſentur, & januis apertis alta voce divina officia ſolenniter celebrentur, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis* &c. &c. 90.). Hoc idem privilegium habetur in feſto Corporis Chriſti & per totam Octavam ex Conceſſione MARTINI V. & EUGENII IV. 91.);

87.) C. 43. de ſent. Excom. c. 19. eod. in 6.
88.) C. 24. de ſent. Excom. in 6.
89.) C. 11. de Pœnitent.
90.) C. 24. de ſent. Excom. in 6.
91.) MARTINI V. Conſtit. Ineffabile Sacramentum. in Bullario eſt XII. EUGENII IV. Excellentiſſimum. eſt VI. in Bullario. Vid. SUAREZ de Cenſur.

item in Festo Immaculatæ Conceptionis B. Virginis cum Octava (tem pro Hispania 92.). III. Ecclesiasticæ Sepulturæ vel ingressus Ecclesiæ privatio.

Et Moderatio. §. 127. Interdictum personale spe ciale non potest in aliquem ferri, ni ob propriam culpam ejus: personale generale autem non exigit culpa in omnibus personis, quæ tali Interdicto ligantur; sed in corpore morali, ut tale est, vel in magna parte personarum ejus, vel in capite. Interdictum locale requirit causam generalem ex peccato publico seu communi procedentem, quæ debet esse tanto gravior, quanto generalius est Interdictum. Cum interdicto non confundenda est *Cessatio a Divinis*, quæ non est Censura, sed quædam pura negatio & omnimoda desistentia Divinorum officiorum, nec locum nec personas immediate afficiens,

disp. 34. sect. 1. n. 41. Covarruv. in Cap. Alma mater. p. 2. §. 5.

92.) Bulla Leonis X. quæ est XIV. Bullarii Pontificis apud Eman. Rodericum in Collect. Privileg. Regular. tom. 1. Plazza de Immacul. Concept. Act. I. art. 2. n. f. 236.

ciens, ad ostendendam tristitiam, quam concipit Ecclesia ob inobedientiam filiorum suorum. Unde dicitur Organorum suspensio, juxta illud psalmi; *in salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra* 93.).

Aliæ Pœnæ sunt vindicativæ;

§. 128. Hucusque dictum de Pœnis *medicinalibus*: nunc dicendum de Pœnis *Vindicativis*, quæ infliguntur directe in odium delinquentis, ultionem criminis, & publicam utilitatem, licet secundario per eam respiciatur emendatio puniti. Dantur etiam in Foro Ecclesiastico pœnæ *corporis afflictivæ*, sicut in foro Laico, quibus opponuntur pœnæ *spirituales*, quæ privant bono spirituali. Lubet aliquas enumerare.

Quarum

§. 129. I. Præter Censuram explicatam fertur sæpe *suspensio* mere in pœnam delicti præteriti in certum tempus ab officio, vel Beneficio, vel utroque simul. II. Ob crimen valde grave Clerici omnino privantur Beneficiis suis. III. Bonorum publica-

93.) Psalm. 136. de Cessatione a Divinis videatur Stephanus de Avila de Censuris, part. 6. Suarez de Censur. disp. 39. Henriquez Theol. Moral. lib. 13. c. 52. seqq.

tio raro ſtatuitur in Clericum. Bona ex titulo Eccleſiaſtico acquiſita debentur Eccleſiæ aut cauſis piis: circa bona patrimonialia autem poſſent judices Eccleſiaſtici ad imitationem legum punire Clericos publicatione bonorum ad fiſcum Epiſcopi in casibus, in quibus Laici puniendi eſſent confiſcatione. IV. Pœna verberum & flagellationis in Clericorum perſonis a ſacris Canonibus recepta eſt 94.) moderatio tamen commendatur 95.) ut etiam in puniendis Laicis, *flagella in vindictam ſanguinis tranſire minime debeantur* 96.). V. Pœna exilii non eſt aliena a foro Eccleſiaſtico 97.), in hoc præcipue ſenſu, ut quis a loco delicti in alium ejusdem Diœceſis transferatur. Nam ut ait S. Isidorus 98.), *valet interdum converſis pro animæ ſalute mutatio loci: plerumque enim dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus: congruum eſt enim, inde etiam corporaliter avelli, ubi quisque illecebris deſer-*

94.) C. fin. diſt. 35. C. 1. V. q. 1. C. 6. XI. q. 1.
95.) C. 8. diſt. 45.
96.) C. 4. de Raptor.
97.) Cap. 1. de Calumniat. C. 8. diſt. 45.
98.) C. 9. diſt. 81.

deservivit. Nam locus ubi quisque prave vixit, hoc in aspectu mentis apponit, quod sæpe ibi vel cogitavit vel gessit. Ad hunc effectum opus non est, ut quis in Thraciam, vel desertam Insulam relegetur, sed ut exilio puniatur *finitimo* 99.), & in loco commissi delicti alius ordinetur 100.).

§. 130. VI. *Depositio* est perpetua remotio ab altaris ministerio, potestque fieri non tantum ob gravem malitiam, sed etiam ob insignem ruditatem 1.). VII, Ut Depositi haberent opportunitatem deplorandi sua crimina, antiqui Canones detrudi eos volunt in arctum Monasterium, ut Monachorum exemplo ad pœnitentiam & vitæ austeritatem perducerentur 2.). Variæ difficultates tum in designando Monasterio, tum in recipiendo Reo nunquam non obstiterunt. Unde ALEXANDER III. 3.) agens de Clericis, qui participes erant necis S. THOMÆ Cantuariensi illatæ, eos in districto claustro recluden- *Variæ*

99.) C. 9. III. q. 4.
100.) C. 10. dist. 50.
1.) C. fin. de Celebr. Miss.
2.) C. 7. & 8. dist. 81. C. 6. de Pœnis.
3.) C. 6. §. 7. de Homicid.

dendos esse pronuntiat, ita ut usque ad septennium vel quinquennium debeant ab Ecclesiarum introitu coërceri : reclusioni autem in Monasterio additur hæc clausula , *si fieri potest*. Hæ difficultates demum adeo invaluerunt , ut pœna ista hodie omnino a foro recesserit.

Recensentur. §. 131. VIII. Quamvis carcer de Jure civili non pœnæ causa , sed solum ad custodiam comparatus sit : de Jure tamen Canonico carcer etiam pœnæ loco habetur , vel ad tempus , vel in perpetuum incolendus 4.) : nam etiam de pœna perpetui carceris mentionem faciunt plures Canones 5.) Hæc pœna censetur major , quam pœna capitis : nam longe minor pœna est statim mori , quam diu affligi sine salutis spe : unde non videtur imponenda pro quolibet crimine capitali , sed quando Laico imponenda esset pœna mortis cum exasperatione. Cum igitur Judex Ecclesiasticus pœnam mortis imponere non possit, infligit talem incarcerationem

pro

4.) C. 3 de Pœn. in 6.

5.) C. 15. §. siqui. de Hæret. C. 27. §. porillo. de V. S. Extrav. un. inter comm. de Pœnis.

pro graviori crimine adversus Clericos, non vero contra Laicos, nisi ob crimen hæresis 6.). Circa hos autem in carcere propter hæresin reclusos, BONIFACIUS VIII 7.) Inquisitoribus dat facultatem mitigandi, vel mutandi pœnam una cum Prælatis, quorum Jurisdictioni subsunt, si viderint expedire. Cavendum autem esset Judici Ecclesiastico, ne incluſus ex defectu aeris vel cibi moriatur; alioquin Judex incurreret Irregularitatem: nam hæc pœna imponitur, non ad mortem, sed ad pœnitentiam agendam, ex Decretali INNOCENTII III 8.), qui Episcopo Parisiensi consulit, ut quendam falsarium *in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam includat, pane doloris & aquæ angustiæ sustentandum, ut commissa defleat, & flenda ulterius non committat.* Jejunio quidem potest quis in pœnam delicti macerari, non autem fame necari 9.).

6.) JULIUS CLARUS in Pract. crimin. §. fin. q. 70. n. 4.
7.) C. 12. de hæret. in 6.
8.) Lib. 11. epist. 257. relata in C. 27. de V. S.
9.) De supplicio famis vid. LOPEZ Pract. Crim. Canon. Cap. 140. §. nec debent.

Demum devenitur ad Degradationem.

§. 132. IX. *Degradatio* dicitur, qua Clericus ob crimen atrocius, accedente incorrigibilitate, Beneficio, Ordine & Statu Clericali spoliatur. Præmitti solet Depositio: si emendatio non sequatur, debet excommunicari: si postmodum in profundum malorum veniens contempserit, tunc, cum Ecclesia non habeat ultra, quod faciat, Episcopus procedit ad degradationem. Quando hæc per sententiam promulgatur, dicitur *verbalis*; *realis* autem per executionem sententiæ in re & opere ipso perficitur. Exutus privilegiis Clericalibus seculari foro traditur: Ecclesia tamen pro eo efficaciter intercedit, *ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur* 10.). Forma degradationis accurate describitur in Pontifi-

10.) C. 27. de V. S. Carolus de Grassis Tract. de Effectibus Clericatus. Effect. 1. n. 797. concludit ex c. 10. de Judiciis. Clericum incorrigibilem posse puniri a Judice seculari, etiam nulla præcedente degradatione. Hoc debet intelligi, si talis Clericus per Judicem Ecclesiasticum sit traditus Judici seculari, omni privilegio Clericali spoliatus, etiamsi degradationis solennes ritus non fuerint adhibiti.

tificali 11.), BONIFACIUS VIII. 12.) advertit, degradationem Clerici fieri, *ut exauctoratio ejus, qui militiæ deſervit armatæ, cui militaria detrahuntur inſignia, ſicque a militia remotus caſtris rejicitur, privatus conſortio & privilegio militari* 13.). Ceremonias apud Catholicos uſitatas imitantur etiam Proteſtantes Germaniæ in Degradatione Præconum & Miniſtrorum ſuorum, prout contigit in Civitate Hanoverana Anno 1706., ubi tamen orta fuerat lis, an actus hic ſolennis peragendus ſit a Curia Judiciali Principis, an a Conſiſtorio ad negotia Eccleſiaſtica deputato, quod æmulatur autoritatem Conſiſtoriis Epiſcopalibus Catholicorum convenientem. Negotium a Conſiſtorio Lutherano confectum deſcribitur apud LUNIG 14.).

§. 133.

11.) Sub Rubr. *Degradationis forma*, Ritus adhibiti in degradatione JOANNIS HUSS recenſentur a Cochlæo in Hiſtor. Huſſitarum.

12.) C. 2. de Pœnis in 6.

13.) Conſulatur C. 1, de Hæret. in 6. & late ibidem PASSERINUS. item Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 4. de Reform.

14.) Theatr. Ceremon. p. 2. fol. 342. ſeq.

Imponi etiam possunt pœnæ pecuniariæ,

§. 133. X. Magnam vim inter pœnas Ecclesiasticas habet *Infamia*, cum *infamibus portæ non pateant dignitatum* 15.). XI. Mulctas pecuniarias habere locum in foro Ecclesiastico, constat 16.), quæ tamen non Judici Ecclesiastico, sed Ecclesiæ, vel aliis causis piis applicandæ erunt 17.). Improbant aliqui, quod Episcopi ex decreto Concilii Tridentini 18.) etiam Laicis imponere possint mulctas pecuniarias; credunt enim, hoc cedere in præjudicium Laicæ potestatis, sicut etiam sentiunt de aliis quibusdam pœnis a Concilio dictatis: qui articulus, præter quosdam alios, lon-

15.) C. 87. de R. J. in 6.

16.) C. 18. de Offic. Jud. Ord. C. 4. de Raptor. C. 2. de Pœnis. In C. 55. XVI. q. 1. jubetur Reus Bannum Papæ componere. Glossa per Bannum intelligit mulctam LX. solidorum.

17.) Concordata Bavariæ C. 3. volunt, ut mulctæ pecuniariæ Clericis impositæ applicentur in Ecclesiarum fabricas vel similes pios usus intra Bavariam. C. 5. XVI. q. 6. *Si qui lapsi fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum Ecclesiastico juri non subtrahi.*

18.) Sess. 25. C. 3. de Reform. Pallavicinus Hist. Conc. Trid. lib. 2. c. 6. n. 2. seqq.

longiorem moram injecit publicationi Concilii in Regno Neapolitano 19.). Nimius & vanus erat FRANCISCI ANTONII VILLANO, qui observationes in Concilium Tridentinum confecerat, timor, ne Episcopi potestate sua abusi, subditorum Regiorum Bona ad fiscum suum traherent. Fiscus hic est propter pauperes, quibus applicantur mulctæ: adeoque Episcopus non censetur tam imprudens, ut pro danda eleemosyna subditos reddat pauperes 20.).

Et aliæ temporales.

§. 134. Universim aliqui in dubium vocant, an Judex Ecclesiasticus in Causis mixti fori procedere contra Laicos possit ad pœnas temporales: credunt enim, Episcopum non habere territorium distinctum, nec jurisdictionem temporalem, ac proinde familiam armatam tenere non posse, quæ executioni pœnarum temporalium deserviat 21.). Ratio-

19.) Narratur in Historia de la Reception du Concile de Trente. tom. 1. art. 11.

20.) Vid. ALTESERRA Vindic. Jurisdict. Eccles. lib. 9. c. 5

21.) Ita sentiunt multi apud CAROL. DE GRASSIS de Effect. Clericat. Effect. 1. n. 620. MARTA de Jurisdict. p. 2. c. 29. n. 13.

tiones istorum Autorum parum probant; nam Jurisdictio Ecclesiastica etiam utitur pœnis temporalibus; Si quis autem ad hanc exercendam non velit Diœcesi nomen territorii tribuere, deberet de territorio Episcopi ita loqui, prout loqui solemus de territorio Jurisdictionis militaris, vel Academicæ. Si igitur Jus & Juris rationem spectemus, omnino permittendum esset Episcopo, ut etiam Laicis ob crimina mixti fori imponat pœnam temporalem, citra mortem tamen & sanguinis effusionem Supponit id Concilium Tridentinum, quod loquitur de causis *ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus*, proin etiam de causis mixti fori, in quibus Judex sacer Laicum prævenit: effectus enim præventionis est, ut Judex præveniens præventum excludat: Judices autem Ecclesiastici quoad crimina mixti fori æque sunt competentes Judices Laicorum, sicut sunt Judices Clericorum, consequenter utrisque easdem pœnas infligere possunt. Nam pœnæ temporales non sunt extra sphæram Jurisdictionis Ecclesiasticæ, cum juxta omnes ad has etiam contra Laicos possit proceda

in

in criminibus privative ad forum Ecclesiæ pertinentibus, ut sunt hæresis & simonia 22.). Hæc de Jure dici possunt. In nostra tamen Germania multi Episcopi uti non solent hac sua potestate contra Laicos, ne collidantur cum Judicibus secularibus, quibus dictandas relinquunt pœnas temporales; suæ autem Jurisdictioni satisfactum credunt per pœnas spirituales. Sine ullo præjudicio id fieri potest, si reus subditus sit Jurisdictioni seculari, quam Episcopi Germaniæ valde amplam tenent in territorio suo distincto, ubi etiam diversa habent Dicasteria tam pro secularibus, quam pro Ecclesiasticis causis, consequenter autoritate ejusdem Episcopi decernentur in laicum subditum pœnæ Ecclesiasticæ & temporales.

§. 135. Inter Pœnas Ecclesiasticas primis Ecclesiæ temporibus maximum nomen habuit *Pœnitentia publica.* Leges ejus summis criminibus Idololatriæ, mœchiæ & homicidii veniam non dabant: horum delictorum convictis pœnitentiam quidem volentibus

Primis seculis vigebat

22.) Vid. P. Friderich de foro comp. p. 3. c. 5. §. 2.

bus non negabant ; pacem autem, gratiamque ab uno Deo ſperare jubebant. Hæc crimina ab Apoſtolis præcipue notata credunt aliqui, dum præceperant Gentibus ad Chriſtum converſis, ut abſtineant *ab Idolothytis, & ſanguine, & fornicatione* 23.). Romæ dein Papa Zephyrinus veniam indulgebat mœchis, quorum proclivior lapſus erat, Montani diſcipulis vehementer obnitentibus, & contendentibus, ex eadem ratione debere etiam Idololatris & homicidis pœnitentiam & veniam dari 24.). Poſtea etiam Idololatris pax data decernente Cypriano in Africa, & Romæ ſtatuente Clero Romano, dum ſedes poſt mortem Fabiani vacaret, & exinde Cornelio Papa, ut ſaltem infirmis & in exitu conſtitutis pax daretur lapſis in Deciana perſecutione 25.). Quando homicidæ ad pacem recipi cœperint, incertum eſt. Concilium Eliberitanum etiam aliis quibusdam criminibus Communionem nec in fine vitæ dandam cenſuit.

Sy-

23.) Act. XV.
24.) Tertullianus lib. de Pudicit. Cap. 5. Cyprianus Epiſt. 52.
25.) Cyprian. epiſt. 14. & 31.

Synodus Nicæna de lapsis mollius censuit, & generatim Canone XIII., ne cuiquam in exitu vitæ petenti viaticum denegetur.

Pœnitentia publica.

§. 136. Postquam spes veniæ per pœnitentiam ostensa, ne tamen veniæ facilitas peccandi licentiam induceret, præscriptæ sunt leges Pœnitentiæ publicæ 26.), cujus duplex erat fructus, venia delicti, & exemplum, ut scilicet repararetur scandalum populi. Huc pertinent ea, quæ alibi 27.) dicta sunt de forma Ecclesiarum veterum, ubi designantur loca variis pœnitentium classibus destinata. Tali Pœnitentiæ publicæ obnoxia fuerunt crimina graviora tantum, eaque publica & manifesta: jus autem ejus omne penes Episcopum, nullum nisi ejus vice & jussu penes Presbyterum. Pro ratione delicti, pœnitentiæ & personæ, reconciliatio juxta arbitrium Episcopi fiebat in Cœ-

26.) Innocentius I. epist. ad Exuper. Joan. Morinus de Pœnit. Collectio Canonum Pœnitent. in Corpore Juris Canonici & alibi edita.

27.) De Jure Rer. Eccles. Sect. I. tit. 1. §. 8. seqq. & Sect. II. tit. 6. §. 256.

na Domini, scilicet Feria V. ante Pa-
scha: vestigium hujus pœnitentiæ est,
dum ad initium Jejunii capita submit-
timus cineribus sacris, & ad Eucha-
ristiam admittimur in Cœna Domini.
Pœnitentia publica, non autem pri-
vata, Constantinopoli sublata est a
NECTARIO Patriarcha 28.).

Ad quam refertur Communio Laica

§. 137. Ad Pœnitentiam pertinet e-
tiam Communio peregrina & laica:
utraque in aliis honor fuit, in aliis
pœna & supplicium. Nam & Laica
Communio homini laico non pœna,
sed honor est: & peregrina peregri-
no similiter. Tum vero pœnæ ac de-
decori utraque deputatur, cum aut
inter laicos, laicorum more commu-
nicare Clericus jubetur, qui laicus
non est; aut inter peregrinos non
peregrinus. Damnati ad laicam Cle-
rici, gradu suo carebant in perpe-
tuum: in peregrinorum ordinem re-
dacti, post resipiscentiam, locum
suum recipiebant, matriculæque &
corpori

28.) Historia Pœnitentiæ publicæ legi po-
test apud SIRMONDUM Operum tom. 1
CABASSUTIUM Notit. Eccles. Seculo I.
Dissert. 8.

corpori, a quo segregati sunt, restituebantur 29.).

§. 138. Peregrina autem Communio erat eorum, qui non satis noti aliunde veniebant absque Literis *Formatis*, ut modo vocamus, vel Pacificis, aut Communicatoriis. Literæ hæ dabantur ab Episcopo subditis suis peregre euntibus, ut quocunque venirent, in Communionem fidelium admitterentur, hospitioque exciperentur: nam per Communionem hoc loco non intelligitur sola admissio ad Eucharistiam in Ecclesia, sed omnis conversatio cum fidelibus, hospitii & alimentorum subministratio. Quia autem his Literis frequenter abutebantur hæretici, vel alii impostores, Patres primæ Synodi Nicænæ novam illis formam præscribebant, quæ non facile fraudem admittebat, narrante Attico, Constantinopolitano Episcopo 30.). Aliquæ ex his Literis vo- *Et Peregrina.*

29.) Vid. Sirmondus loc. cit. cap. 12.

30.) Hujus verba exhibet Harduinus in Collect. Concil. tom. 5. col. 1453. ubi plura harum Literarum exempla ponit. Eandem formam delineat Cabassutius Not. Eccl. Seculo II. Dissert. 7.

cabantur Commendatitiæ, συζατικαι, quarum mentionem facit Canon XII. Apoſtolorum, & Canon XI. Synodi Chalcedonenſis, ubi dicitur, quod iſtæ concedantur non quibusvis, ſed τοις ϰσι μονοις εν ὑπολημψει, quæ ultima vox nunc deteriorem ſuſpicionem, nunc autem honorificam æſtimationem denotat. Græci aliqui interpretes ajunt, eas datas illis, qui poſſent eſſe ſuſpecti ob malam famam, qua forte innocenter laborabant 31.): econtra alii intelligunt conceſſas eſſe ſolis honorificis perſonis, ut lautius & liberalius excipe-rentur 32.).

Hodie Pœnæ dependent plerumque ex arbitrio Epiſcopi.

§. 139. Recenſuimus potiſſimas pœnas Fori Eccleſiaſtici, de quibus mentionem faciunt ſacri Canones. Hodie delictorum coercitio fere pen-det

31.) Balsamon, Zonaras & Aristenus apud Beveregium tom. 1. ad Can. 11. Conc. Chalced. item Blastares in Syntagm. Lit. A. c. 9. & ipse Beveregius in propriis annotationibus tom. 2. ad Can. XII. Apoſt. & Can. XI. Chalced.

32.) Sic Canonem Chalcedonenſem intelligit Dionysius Exiguus, Isidorus Mercator, & Paraphraſis Arabica apud Harduinum Tomo II.

det ex prudenti & provido Ordinariorum arbitrio, quod tamen non ex temerario lubitu, ſed conſideratis circumſtantiis ad mentem Sacrorum Canonum regulari debet ad obtinendum finem, ut ſcilicet delinquentes emendentur, & ſcandala tollantur, præſertim quando agitur contra delinquentes Clericos, qui pœnitentiæ publicæ non ſunt ſubjiciendi, & ideo ob majora delicta majore etiam cura extra conſpectum Laicorum in pœnitentiæ operibus ſunt exercendi. Formula proponitur in Can. V. Diſt. 82.

Cenſuræ ab aliquibus impudenter contemnuntur.

§. 140. Sicuti autem Judicibus Eccleſiaſticis commendanda eſt ſeveritas in iis præcipue pœnis infligendis, quæ medicinales dicuntur, & ſolam emendationem morum reſpiciunt; ita viciſſim deploranda, aut ſi fieri poſſit, coercenda eſt petulantia multorum Laicorum, qui imperterritam animi *fortitudinem* non alibi magis, quam in contemptu Poteſtatis Eccleſiaſticæ, & neglectu Cenſurarum exſerunt, totumque ſacræ diſciplinæ vigorem inter nugas pueriles, & anilia terriculamenta deputant, nec anguntur, quod per ex-

communicationem *Communione Sanctorum*, quam in Symbolo Apostolico profitemur, priventur, communibus Ecclesiæ suffragiis careant, tradantur satanæ, nec ullis fidelium orationibus, aut Sacramentorum subsidio juventur; cum tamen acerbissime ferant exclusionem a Nobilium circulis, ab Aularum aditu, a conversatione æqualium. Jam apud Gentiles gravissima pœna erat exclusio a Sacris 33.): & Sacræ Literæ terrifica exempla nobis proponunt in Adamo ejecto ex Paradiso; in Cain a facie Domini egresso, divinamque manum sibi impendentem semper operiente; in Maria Moysis sorore, lepra divinitus multata, & extra aliorum commercium ejecta; in Core, Dathan & Abiron ob seditionem contra Sacerdotium motam, a reliquo populo separatis, & hiante terra absorptis; in Rege Ozia ob sumptum temere Sacerdotale officium, lepra percusso, & e templo ejecto &c. &c. Tristia novi fœderis exempla non re-

censeo,

33.) Vid. Julius Cæsar de Bello Gall. lib. 6. Plato de Legib. lib. IX. in fin. & lib. X. in fin.

cenſeo, cum ejusmodi homines hiſtoriæ fidem facile explodant 34.): ad horrorem Cenſurarum, & reverentiam erga Claves Eccleſiæ potenter permovere debet exemplum fortiſſimorum Imperatorum & Regum, qui Majeſtate ſua non indignum cenſuerunt, humili pœnitentia reconciliari Eccleſiæ, & graviſſima Cenſurarum mala a ſe amoliri. Præclara THEODOSII & ARCADII Imperatorum exempla confundunt aliquorum impudentiam ſub larva fortitudinis latentem.

TITULUS XI.

DE POENIS FORI SECULARIS.

§. 141.

POSTQUAM recenſuimus uſitatiores pœnas Fori Eccleſiaſtici, pariter enumeramus pœnas hodierni Fori ſecularis, & adjungimus quasdam doctrinas in materia pœnarum utrique foro communes. Conſideramus autem hoc loco mere pœnas *Criminales*: *Pœnæ fori ſecularis*

34.) Vid. S. PETRUS DAMIANI lib. 1. epiſt. 10. THEOPH. RAYNAUDUS de Monitor. Eccleſ. part. 2. c. 11.

les: nam *Civiles*, quæ unice favorem ac utilitatem Actoris concernunt, qualis est dupli, quadrupli, hodie non sunt in usu, cum pœnæ pecuniariæ ad fructus Jurisdictionis pertineant. Quæ autem ad reparandum damnum imponuntur, pœnæ nomen proprie non habent 35).

Sunt variæ: §. 142. Pœnæ Criminales aliæ sunt *Capitales*, quæ vitam naturalem aut civilem tollunt, uti Decollatio, Suspendium, Rotæ contusio, Combustio, perpetuus Carcer, Bannum Imperii: aliæ *non Capitales;* & hæ quidem vel *corporis afflictivæ*, ut fustigatio, flagellatio, aurium amputatio 36.), damnatio ad opus publicum,

35.) Schilterus ad Pandect. Exercit. 49. Thes. 61. seqq. Mathias Stephani in Prooemio Const. Crim.

36.) Quam ignominiosa sit amputatio aurium, erudite docet Claudius Expilly Plaidoye 25. Olim erat etiam in usu abscissio narium, ut constat ex Legibus militaribus Friderici I. apud Radevicum de Gest. Frider. I. lib. I. c. 26. & Guntherum lib. 7. ubi feminæ sub pœna abscissionis narium jubebantur exesse ex castris: *Naso mutilabitur illa reciso.* Hodie hæc pœna ob multas causas rarior est.

cum, triremes, ergastula &c.; vel *non afflictivæ corporis*, ut privatio dignitatis, relegatio, carcer; confinatio, qua quis certo loco, qui Judici subest, exire prohibetur; pœna pecuniaria, 37.), infamia, stigmatis, inustio, palinodia in Judicio criminali; nam extra hoc judicium civilis hæc pœna est. Per aliquas ex his pœnis reus risui & contemptui exponitur, uti si sistitur ad numellas, si probroso ligno constringitur collum, si quis in caveam versatilem includitur, si quis per plateas deduci-

37.) Pœnæ pecuniariæ nimis leves non coercent malitiosos homines. Exemplum est in Leg. XII. Tabul. Tit. 25. ibi: *Si injuriam faxit alteri, viginti quinque æris pœnæ sunto.* Addit A. Gellius lib. 20. c. 1. quis erit tam inops, quem ab injuriæ faciendæ lubidine viginti quinque asses deterreant? . . Quidam Lucius Neratius fuit, egregie homo improbus: is pro delectamento habebat, os hominis liberi manus suæ palma verberare. Eum servus sequebatur crumenam plenam assibus portitans: & quemcunque depalmaverat, numerari statim secundum duodecim tabulas viginti & quinque asses jubebat. *Nullam reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat.* C. 72. XI. q. 3.

tur lictore pulsante tympanum, quod fieri solet meretricibus &c. Aliæ sunt pœnæ *legitimæ*, quas ipsæ Leges exprimunt; & hæ sunt vel *latæ sententiæ*, quæ ipso facto incurruntur, exigunt tamen sententiam declaratoriam Judicis; vel *ferendæ sententiæ*, quæ per sententiam condemnativam Judicis infligi debent: aliæ *arbitrariæ*, quarum determinatio ex arbitrio Judicis, ad analogiam Juris tamen adstricto, pendet, ita ut ipsi ex pluribus determinatis electio relinquatur. Pœnis Criminalibus accensetur Infamia, nam *neque famosis, & notatis, & quos scelus aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt* 38.).

§ 143.

38.) L. 2. C. de Dignitat. Qui differentiam infamiæ facti & juris tollunt, *Cornicum oculos* cum Donello configunt, ut loquitur Schilterus Exercit. 10. thes. 25. Donelli doctrina lib. 18. c. 6. proposita, refutatur in Notis ab Hilligero adjectis lit. J. De Cornicum oculis vid. Erasmus adagion. Cent. 2. Optime de hac re loquitur Duarenus ad lib. 3. tit. 2. Pandect. de his qui notantur infam. m. fol. 67. seq.

§. 143. Pœnæ ordinariæ nonnunquam ob atrocitatem criminis, artificiosam malitiam, reiterationem, pluralitatem aut ob alias circumstantias exasperantur. Pœnæ Capitales jure Romano conjunctam habebant confiscationem bonorum 39.); quas leges Justinianus 40.) moderatus est; Carolus V. omnino sustulit, excepto crimine Majestatis 41.). De legitimo sensu Carolinæ Constitutionis litigant nonnulli, quorum aliqui insertam particulam *vel* prorsus omitti volunt, ita ut sensus articuli turbetur. Id certum videtur, Confiscationem, excepto crimine læsæ Majestatis, abrogari, quando pœna infligitur capitalis, ne post Rei mortem, etiam uxor & liberi puniantur, ac in extremam paupertatem redigantur. Reliqua illius Articuli verba intelligi possunt, quod Confiscatio in aliis non capitalibus criminibus locum habeat, quando ea nominatim statuta reperitur. Sic Monopolia & fraudulentæ Propolarum, seu Dardaniorum *Nonnunquam exasperatæ;*

39.) L. 1. seqq. ff. de bonis damnator.
40.) Novell. 134. cap. fin.
41.) Const. Crim. art. 218.

niorum artes sub pœna confiscationis prohibentur in Constitutionibus Imperii 42.). Quænam autem bona cadant in Confiscationem, ubi hæc statuta est, docet REGNERUS SIXTINUS 43.). Exasperationis species sunt, quando amputatum caput, vel corpus imponitur rotæ; comburitur; dissecatur in quatuor partes, in viis publicis suspendendas: item quando reus ad pœnam capitalem ducendus imponitur trahæ; forcipibus candentibus vellicatur; manus ante decollationem abscinditur, vel clava ferrea contunditur; lingua abscinditur; crura & brachia prius rota franguntur, quam caput vel pectus contunditur.

Non nunquam mitigatæ.

§. 144. Sicut exasperari, ita etiam mitigari ordinariæ pœnæ possunt ex justa causa, quam approbare censetur Legislator. Talis causa est deliberationis & judicii defectus propter ætatem teneram, ebrietatem 44.), ira-

42.) Reform. Polit. anni 1548. & 1577. tit. 18. Vid. CARPZOV. Pract. crimin. p. 2. q. 135. SAM. STRYCK. de Damnand. Vol. 1. disp. 2. c. 6.

43.) De Regalib. l. 2. c. 12. n. 36. seqq.

44.) BÖHMERUS Consult. Tom. 2. p.

iracundiam & impetum justa ex causa ortum 45.); ob defectum doli, nam culpa etiam lata excusat a pœna ordinaria 46.); ob seductionem, stupiditatem, melancholiam, statum rei a nativitate surdi & muti simul. Item ob incertitudinem corporis delicti, ob solum conatum, ob concursum, ob insignem reorum multitudinem. Extraordinariæ & arbitrariæ pœnæ mitigantur ob qualitatem sexus, dignitatem personæ, spem emendationis, pœnitentiam in continenti declaratam, corporis imbecillitatem, qualis est in feminis gravidis, vitam bene actam, carceris diuturnitatem; nam etsi carcer juxta Leges Civiles non ad pœnam, sed ad custodiam destinatus sit 47.), continet tamen in se pœnam, & ideo ejus diuturnitas est causa mitigandi pœnam ordinariam 48.). Varias tempe-

---

sponsf. 1056. hanc in militari judicio non attendi, deciditur ibid. resp. 1057. & statuitur in Ordin. Saxon. apud Lunig Corp. Jur. milit. fol. 805. art. 36.

45.) L. 1. §. fin. ad Leg. Corn. de Sicar.

46.) L. 7. ibid.

47.) Tot. tit. C. & ff. de Custodia reor.

48.) L. 23. C. de pœnis. ubi jubent Imperatores, ne in exilium ejiciantur, qui

perandi pœnam causas recenset TIRAQUELLUS 49.), quæ tamen non omnes in praxi recipiuntur. Fundamentum in Legibus ad mitigandas pœnas non habet insigne Rei artificium, impunitatis promissio, spontanea Rei confessio, feminæ intercessio, paupertas, numerus liberorum, conversio, & emendatio ad breve tempus.

Crimini affinis est Conatus, & causa moralis Criminis.

§. 145. Cum Crimine propinquam affinitatem habet *Conatus*, seu præparatio actualis mediorum ad crimen consummandum directa, absque effectu tamen secuto. Ejusmodi præparatio habet suos gradus. Nonnunquam Conatus per se in crimen peculiare abit, uti vulneratio animo occidendi facta: in foro externo pœna proportionatur inflicto vulneri, non autem neci intentatæ. Si enim Judex

longo tempore fuerunt incarcerati. *Sit satis immensorum cruciatuum semel luisse supplicia, ne hi, qui diu privati sunt auræ communis haustu, & lucis aspectu, intra breve spatium catenarum ponderibus prægravati, etiam exilii pœnam sustinere iterum compellantur.*

49.) Tract. de pœnis temper. aut remit. qui continetur operum tom. 7.

Judex necem intentatam punire velit pœna mortis, quam pœnam imponet propter mortem secutam? aliquando tamen talis conatus consummationi æquiparatur, veluti in crimine læsæ Majestatis 50.); in homicidio proditorio 51.); in parricidio 52.). Circa alia crimina plerumque attenditur, utrum conatus ad actum proximum pervenerit; utrum effectus, ipsius delinquentis pœnitentia, an facto quodam externo impeditus fuerit? Pro diversitate harum circumstantiarum pœna extraordinaria imponitur, nisi crimina sint atrocissima. Ponunt aliqui generalem regulam, ex ea culpa puniendum quem non esse, ex qua damnum nullum secutum est 53.). Unde inferunt, falsitatem Scripturæ, quæ jure non probat, pœnam non mereri. Qui falsam monetam percussit, si in totum

50.) L. 5. C. ad Leg. Jul. Majest.

51.) L. 1. ff. & L. 7. C. ad Leg. Corn. de Sicar.

52.) L. 1. ff. ad Leg. Pomp. de Parricid.

53.) Desumunt hanc regulam ex L. 10. §. 1. ff. ad Leg. Rhod. ex L. 45. ff. de O. & A. præcipue ex L. 7. §. 4. ff. quod vi aut clam.

tum formare noluerit, suffragio je-
stæ pœnitentiæ absolvitur 54.). Ja-
cobus Bouricius 55.) testatur, supre-
mam Curiam Frisiæ non statuisse pœ-
nam mortis in mulierem, quæ suo
marito venenum propinaverat, ex
quo mors non est secuta 56.). Cri-
minosis annumerantur etiam, qui
ad crimen perpetrandum concurrunt
mandando, jubendo; societatem
criminis ineundo, opem ferendo,
noxios receptando, de criminis quæ-
stu participando, alterum instruen-
do crimen suscipiendum non impe-
diendo, quod impediri debuisset;
crimen jam perfectum celando, in-
citando, laudando &c.

Inter Crimen & Pœnam

§. 146. Certum apud omnes est,
pœnam debere proportionari delicto:
quænam autem proportio servari de-
beat, agitata inter Jurisconsultos
quæ-

54.) L. 19. ff. ad Leg. Corn. de falsis.

55.) Tract. qui inscribitur *Captivus*. c. 2.

56.) Allegat Bouricius Baldum, qui
tamen Cons. 437. Vol. 3. loquitur so-
lummodo de eo, qui confecit venenum
causa occidendi Sempronium, statuitque
pœnam arbitrariam crimini huic extra-
ordinario juxta L. 1. §. fin. ff. de extra-
ord. crim. Felinus Sandeus editâ
Epistolam ad Interrogationem; *quando*
conatus punitur.

quæstio est, an scilicet Arithmetica, an vero Geometrica? *Geometrica* proportio dicitur, quæ ex rationibus magnitudinum inter se similium conflatur inæquali excessu. Hæc datur inter numeros 3. 9. 27. 81. 243. ubi tripla ratione progreditur, similesque complectitur rationes, ita ut numerus prior ubique ter contineatur in posteriore: excessu tamen valde inæquali; nam primus numerus a secundo distat tantum senario: quartus vero scilicet 81. a 243. simili quidem ratione tripla distat, ita tamen ut excessus longe major sit, scilicet 162. Et quo longius progredimur, eo majus futurum est incrementum. Proportio autem *Arithmetica*, & progressione & excessu æqualis est; ut 3. 9. 15. 21. 27. ubi semper æquales rationes continentur, semper senarium numerum addendo priori.

§. 147. Aliqui excogitant etiam Proportionem *Harmonicam*, quæ rationes similes & æquales complectitur. Dum has proportiones ad gubernandam Rempublicam applicant, exemplum ponunt in Legibus Connubialibus duodecim Tabularum, quæ *Debet esse proportio*

juxta proportionem Geometrica volebant, ut Patricii ducerent Patricias, plebeji plebejas, prout fere in Germania obtinet. Si vero cautum esset, ut connubia sorte quærerentur, ut Nobiles obscuris sæpe sortitione obvenirent, ut opifex feminam illustrem duceret; hac ratione æqualitas popularis Arithmeticis Legibus induceretur: hæc Arithmetica proportio convenit statui populari; geometrica autem statui Aristocratico. Harmonica autem gubernandi forma utrosque tuetur, uti si plebeja locupples patricio egenti nupserit; aut patricia inops a pecuniis, plebeio locupleti; & quæ venustate ac forma excellit, ei qui ingenii præstantia pollet.

Arithmetica, vel Geometrica, vel Harmonica.

§. 148. Arithmetica regendæ civitatis forma ordinatur juxta regulam ferream & inflexibilem, ita ut Legibus iisdem omnes, iisdem etiam pœnis utantur, nec in pœnis decernendis rationem dignitatis, aut nobilitatis habeant ullam, nec privilegium cuiquam irrogari patiantur. At Geometrica regendæ civitatis forma, normam Lesbiam imitatur: hæc enim plumbea fuit, ut in quamvis partes flexibilis

flexibilis ad omnem lapidem sic accommodaretur, ut de materia quoad ejus fieri posset, nihil periret; cum ceteri, qui lapides ad normam accommodare consueverant, materiæ detrimentum paterentur: ita Judices legem ad propositas causas aptari oportere putabant, ut ex personarum, temporum ac locorum varietate ab illa inflexibili rectitudine discederetur. Neutra ex his regulis placet Bodino 57.). Ut igitur a regulæ Lesbiæ mutabilitate, rursusque ab illa inflexibili rectitudine, id est ab arithmeticis & geometricis artibus paululum discedatur, inventum est dictum tertium regulæ genus, scilicet harmonicum, quod lege, æquitate, & officio Magistratus temperatur, prout fusius declarat Bodinus.

§. 149. His bene consideratis apparet, decisionem propositæ quæstionis potissimum dependere ex diversa Idea, quam Scriptores de proportione Arithmetica, vel Geometrica concipiunt. Communius docent, observandam esse in pœnis decernen- *Magis placet Arithmetica.*

57.) De Republ. lib. 6. c. 6. ex quo ista desumpsimus.

dis proportionem Arithmeticam, ſi-
cut in compenſando damno ex juſti-
tia commutativa. Nam in æſtiman-
do delicto conſideratur materiale, &
ſimul formale, ſcilicet vitioſitas a-
ctus: in æſtimanda pœna conſidera-
tur præcipue perſona, quæ debet
pœnam ſuſtinere; & finis, ad quem
conſequendum imponitur pœna. Di-
verſæ enim conditionis perſonæ in-
æqualiter læduntur per eandem, nu-
de & in abſtracto conſideratam pœ-
nam, ut eleganter advertunt Impe-
ratores 58.), juxta quos *ſi perſona vilior fuerit, cui damnum famæ non ſit injuria, pœnam patiatur exilii.* Unde
hæc pœna huic delicto in hoc ſubje-
cto non eſt reſpective, ſive Geome-
trice, ſed ſine reſpectu ſimpliciter,
ſive Arithmetice, vel quantitate, &
re æqualis 59.).

Quis puniat delinquentem depoſito, &

§. 150. Ex præcedente Titulo con-
ſtat, a Judice ſeculari pœnas com-
meritas infligi Clericis, ab Ordine
Clericali depoſitis, & privilegio Cle-
ricali ſpoliatis. Contigit nuper, ut
Clericus

58.) L. 2. C. ut intra certum tempus &c.
59.) Struv. ad Pandect. Exercit. 1. tit. 4.
th. 30. ſeqq.

Clericus in Minoribus constitutus, depositio hab tu Clericali, militiæ nomen daret, & inde violato Sacramento militari transfugeret. Resumpto postea habitu agnoscitur ab aliis commilitonibus suis, & custodiæ militari mancipatur. Provocat ad privilegium Clericale: hujus usum negare videtur CAROLUS DE GRASSIS 60): concedit FARINACIUS 61.). Prior opinio fundata censetur in Concilio Tridentino 62.), quod videtur requirere, ut tempore delicti fuerit habilis ad privilegium Clericale per gestationem habitus, aliaque requisita 63.). *iterum assumpto habitu Clericali?*

60.) Tract. de Effect. Cleric. c. 1. n. 1293.
61.) Rer. Crim. lib. 1. tit. 1. q. 8. n. 66.
62.) Sess. 23. C. 6. de Reform.
63.) De vario pœnarum genere legi meretur CAROLI DE AQUINO Lexicon militare verb. *Pœnæ militares.* Singularem militum quorundam pœnam refert BONFINIUS Rer. Ungar. Dec. 1. lib. 10. crudelissimum autem supplicium Dec. 5. lib. 3.

TITULUS XII.
DE HÆRESI.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 7. In Sext. Tit. 2. In Clement. Tit. 3. In Extravag. Commun. Tit. 3.

§. 151.

Inter Crimina contra Fidem

POST doctrinam de Criminibus & Pœnis in genere traditam, jam recensenda sunt in specie Delicta potiora & eorum Pœnæ, de quibus etiam Sacri Canones intuitu Fori Criminalis mentionem faciunt. Talia sunt I. contra Fidem. II. Contra Religionem. III. Contra Justitiam; a.) circa bona temporalia; b.) circa vitam hominis; c.) circa honorem. Denique IV. Crimina Carnis. Primum igitur locum teneant Delicta contra fidem. Huic contraria sunt Hæresis, Apostasia, Schisma, Infidelitas, Judaismus.

Consideratur inprimis Hæresis.

§. 152. Hæresis formalis est error *voluntarius, quem homo baptizatus pertinaciter tenet contra aliquam veritatem Fidei Catholicæ.* Quando autem non malo animo, aut ex pertinacia, sed ex

ex simplicitate, aut defectu debitæ informationis quis errat circa fidem, vocari solet Hæreticus materialis, modo habeat bonam voluntatem se submittendi doctrinæ Ecclesiæ, quamprimum illam agnoverit, preces interim fundens ad DEum pro ea rite agnoscenda. Hæresis alia est *interna* seu mentalis, quæ in mente retinetur, nec ullo facto aut verbo externe manifestatur; unde etiam pœnis Ecclesiasticis non subjacet: alia *externa*, quæ verbo vel facto exprimitur, sive hoc fiat publice coram aliis, sive occulte, etiam nemine præsente.

Hæreticorum ingens numerus.

§. 153. Sectarum hæreticarum ingens est numerus, fuitque semper a tempore Apostolorum 64.). Jux-

64.) Multæ tales sectæ recensentur in Can. 39. XXIV. q. 3. In Codice Theodosiano & Justinianeo Tit. de Hæreticis. In concordantibus hujus Tituli Rubricis, ac Bulla Cœnæ. Plures recenset S. Epiphanius, Alphonsus a Castro, & Joan. Sianda in Lexico Polemico. P. Carolus Meichelbeck Hist. Frising. tom. 2. fol. 315. numerat plures ex Lutheri doctrinis natas, quas etiam Lutherani damnant. Hanc recensionem ægre fert Læyserus ad Pandect. Vol. 8. spec. 566. in Coroll. fol. 609.

ta Leges Civiles 65.) *Hæreticorum vocabulo continentur, qui vel levi argumento a judicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint deviare.* Vel *qui non sunt membrum sanctæ DEI Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, in qua omnes concorditer sanctissimi Episcopi . . . Apostolicam prædicant fidem atque traditionem* 66.). Fides autem Catholica & Apostolica continetur in Symbolis 67.), in Canonibus Conciliorum Generalium, in Decisionibus Romanorum Pontificum ex Cathedra, consentiente reliqua Ecclesia.

Judex in crimine hæresis. §. 154. Ad cognitionem doctrinæ hæreticæ solus Judex Ecclesiasticus est competens: & quidem si dubitatur, an aliquod dogma sit hæreticum, solus Papa, aut Concilium Generale decidere potest. Si de heterodoxia dogmatis constat, in sectatores talis doctrinæ Jurisdictionem exercet Episcopus, Capitulum Sede vacante, habentes quasi Episcopalem Jurisdictionem. Pœnas infligere potest.

65.) L. 2. §. 1. C. de Hæret.
66.) Novell. 109. Princ.
67.) De quibus in Præcogn. Jur. Can. tit. 6. §. 59.

test, imo tenetur etiam Judex Laicus illis, qui ab Inquisitore, vel Episcopo traduntur Curiæ. Quando dubitatur, an subditus Principis Catholici profiteatur exercitium Religionis toleratæ, an vero hæreseos non toleratæ; Judex erit ipse Princeps consultis suis Theologis Catholicis, nec opus est confugere ad judicium Acatholicorum: habemus enim libros Acatholicorum toleratorum, cum quibus facile conferri potest doctrina talis subditi, ut inde statuatur de jure emigrandi.

Pœnæ Hæreticorum.

§. 155. Leges omnes acerrime persequuntur Hæreticos, eorumque fautores: Pœnam eorum statuunt Infamiam Juris; amissionem potestatis patriæ & dominicæ; privationem privilegiorum, *quæ contemplatione religionis indulta sunt*, hæc enim *Catholicæ tantum legis observatoribus prodesse oportet* 68.). Item privilegium dotis, quo mulier creditoribus tempore prioribus anteponitur, nec non de tacitis hypothecis, & alia omnia mulieribus a lege data, clauduntur his, quæ Catholicam non participant com-

68.) L. 1. C. de Hæret.

munionem 69.). Omnia loca publica, aut privata, quæ hæreticorum cœtibus copiam præbent, Ecclesiæ Catholicæ vindicantur 70.); jus testandi & succedendi adimitur; & præcipue contra certos hæreticos Leges Civiles bonorum publicationem, pœnam exilii & mortis statuunt 71.). Juxta SS. Canones Pœna hæreticorum est Irregularitas; privatio Sepulturæ sacræ; Excommunicatio latæ sententiæ Pontifici reservata, si laici sint; depositio ab ordine & ab omni officio & Beneficio Ecclesiastico, si Clerici sint; demum degradati traduntur Judici sæculari 72.). In territorio Pontificio publi-

69.) Auth. item ibid.

70.) L. 3. ibid.

71.) Tot. tit. de hæret. Novell. 109. Recentius ejusmodi pœnas statuit FRIDERICUS II. Imperator in Constitutione ab HONORIO Pontifice confirmata, quæ ponitur in fine Corporis Juris Civilis; versio germanica nonnihil immutata exhibetur in Recess. Imper. edit. novis. part. 1. fol. 27. seqq. Tres ejusdem Imperatoris Constitutiones contra hæreticos exhibet GOLDASTUS Const. Imper. tom. 1.

72.) C. 9. & 13. de Hæret.

publicantur eorum bona, in aliis Provinciis ad idem faciendum compelluntur Principes 73.). Actus ordinis exercentur valide ab hæreticis, excepta absolutione, & qui supponunt Jurisdictionem. Prohibentur etiam Catholici, audire hæreticorum Conciones; legere eorum libros de Religione tractantes: disputare cum ipsis de doctrina fidei, nisi quis probe versatus sit in Controversiis Religionis: unde laicis quoque prædicationis officio interdictum est 74.).

An tolerari possint hæretici?

§. 156. Quamvis Catholicus communicare non possit cum Hæreticis in exercitio Religionis; vitare tamen eos in negotiis secularibus non tenetur, nisi publice & nominatim denuntientur tanquam excommunicati. Quamvis igitur singulis annis in Bulla Cœnæ excommunicentur Zwingliani, cum singulis tamen licet negotia secularia tractare, donec aliquis ex iis proprio nomine & publice declaretur excommunicatus. An autem Princeps in suo territorio tolerare possit Hæreticos, varie disputatur.

73.) C. 10. de Hæret.
74.) C. 12. ibid.

tatur. Id certum est, in Germania passim tolerari juxta normam Anni 1624. exercitium alienum à Religione Catholica ex Pace Religiosa, & Instrumento Pacis Westphalicæ Anno 1648. concluſæ, cujus articulos quidem INNOCENTIUS X. Summus Pontifex reprobavit, impedire tamen eorum executionem non potuit, ut alibi notatum 75.). Qui Anabaptistis, Wicleffistis, aliisque Hæreticis liberum exercitium in Germania concedunt, non tantum contra Leges Ecclesiasticas, sed etiam contra leges publicas Imperii delinquunt.

An pœnæ Juris ceſſent in Germania?

§. 157. Ceſſant quidem dictæ pœnæ temporales ob legis publicæ tolerantiam: non tamen ceſſant omnes apud Clericos & Religioſos, si a fide Catholica deficiant: isti enim non tantum privantur Ecclesiasticis Beneficiis & Dignitatibus, vi Reservati Ecclesiastici in Pace Religiosa & Westphalica statuti, sed etiam, saltem in Tribunalibus Ecclesiasticis, censentur inteſtabiles active & passive, aliisque pœnis subjiciuntur. Nam dictæ Pacificationes quoad cives & sub-

75.) In Præcogn. Jur. Can. tit. 19.

subditos Imperii Romani naturam Legis Civilis obtinent, quæ si discrepet a Lege Ecclesiastica, in Foro Canonico non attenditur. Dein Religiosi & Clerici favoribus, si quos ex Pacificatione habere possent, renuntiare videntur, dum specialem obedientiam spondent Superioribus Ecclesiasticis, eorumque Jurisdictioni se subjiciunt: nemo enim cogitur Pacis Westphalicæ exemptionibus uti, si sponte non velit. Vicissim autem, licet hæretici velint Ecclesiasticarum Legum onus excutere, non possunt tamen se liberare a subjectione, quam in Baptismo sunt professi: unde etiam subjacent pœnis per Canones statutis, a quibus tamen in foro seculari ob tolerantiam liberantur.

Absolutio

§. 158. Potestatem absolvendi ab hæresi formali occulta in foro conscientiæ permittit Concilium Tridentinum 76.) Episcopis: pluries tamen a S. Congregatione Concilii interprete declaratum est, eam potestatem per Bullam Cœnæ Episcopis ademptam, & Summo Pontifici reservatam

76.) Sess. 24. de Reform. c. 6.

vatam esse 77.). Si quis defertur a
Episcopum ob crimen hæresis, po
test Episcopus ejurata hæresi eum
absolvere ab Excommunicatione pro
foro externo, ubi non sunt Inquisi
tores : sublata Censura potest absol
vere quivis Confessarius pro foro
interno a peccato, juxta illos, qui
dicunt, ipsum peccatum hæreseos
non esse reservatum, nisi sit conjun
ctum cum Censura : quæ tamen doc
trina nequaquam certa est 78.).

Ab hæresi.

§. 159. Communis & rationi con
formis est persuasio, mitius debere
agi cum iis, qui nati & educati sunt
in hæresi, cum potius benigne in
vitari, quam ob difficilem recursum
absterreri debeant ab amplectenda
fide Catholica, præsertim cum plu
rimi sint hæretici materiales. Dein
apud hos agitur de hæresi notoria &
publica, cujus se reos in sacro Judi
cio sistunt : de hac autem Episcopo
competit Jurisdictio. Tales hæretici
sunt

77.) Vincent. Petra tom. 3. ad
Const. XVIII. Innocent. IV. n. 19
seqq.

78.) Vid. P. Schmalzgrueber ad hunc
tit. n. 189.

sunt etiam plerumque legitime impediti, ut non possint adire sanctam Sedem, ob quam rationem potest absolvere Episcopus jure ordinario.

TITULUS XIII.

DE SCHISMATE.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 8. In Sext. Tit. 3. Extrav. com. Tit. 4.

§. 160.

HÆRESI affine est *Schisma*, quod juxta græci nominis etymon divisionem significat, & definiri potest *separatio a corpore Ecclesiæ orta ex superbia membrorum, autoritati ejus se submittere recusantium, in articulis ad unitatem ejus conservandam necessariis.* Tales articuli sunt unitas fidei, participatio eorundem Sacramentorum, submissio animi, qua inferiores obediunt legitimis Superioribus sub uno Capite Vicario Christi, in quantum hic est universalis & visibilis Ecclesiæ Caput. Separatio in his vel est formalis hæresis, vel fit per spiritum contumaciæ & rebellionis, quo Ecclesiasticæ autoritati debitum obedientiæ jugum excutitur, ac capitis *Schisma*

in

in membra influxus obturatur. Un
de S. AUGUSTINUS Schismaticum es
dicit sacrilega discessione, hæret
cum autem sacrilego dogmate.

Plerumque conjunctum cum hæresi.

§. 161. Nihilominus schisma ple
rumque vel est filia, vel paulo po
erit mater hæreseos. Nam aliqui s
bi confingunt hæretica dogmata, q
recte ab Ecclesia recessisse videantur
alii oretenus schisma detestantur, s
tamen contumaciter Decisiones Ec
clesiæ vim legis habentes rejiciunt,
dum Sedi Romanæ Primatum conce
dentes, ejusdem in universam Ec
clesiam jurisdictionem agnoscere re
cusant. *Neque enim aliunde hæreses ob
ortæ sunt, aut nata sunt Schismata, quam
inde, quod Sacerdoti DEI non obtempera
tur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sa
cerdos, & ad tempus Judex vicè Christi
cogitatur 79.).* Separare se ab uni
versali seu Catholica Ecclesia convin
citur,

79.) S. CYPRIANUS Epist. 55. ad Corne
lium. PAMELIUS in Not. 27. ostendit
Cyprianum, quamvis alibi de se & E
piscopis omnibus loqui videatur, ta
hilominus cum hoc loco, tum præser
tim initio libri de unitate Ecclesiæ, de
solo Romano Episcopo intelligendum
esse.

citur, qui non veneratur summam autoritatem visibilis Capitis, super quam ædificata est Ecclesia. Romana enim & Apostolica Sedes est centrum unitatis & Ecclesiæ fundamentum, cui incumbere necesse est ceteros lapides, ut ædificium perennaturum exstruatur: & *exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere* 80).

§. 162. Ab ortu disseminati Evangelii dabantur Schismata & scissiones in Ecclesia Christi, quod ex Epistolis S. Pauli discimus. Singularem autem memoriam in Historiis Ecclesiasticis obtinet I. Schisma *Novatianorum*, nomen trahens a Novatiano, qui seculo tertio a spe obtinendi Pontificatus dejectus, fautore Novato, obedientiæ legitime electi Pontificis Cornelii se suosque subduxit, & Episcopos Orientis ac Occidentis ad eum deserendum per emissarios suos solicitavit. *Recensentur*

N

80.) S. Leo Epist. 89. ad Episc. Viennens. Provinc. Innocentius III. Lib. 2. Epist. 209. solidissime explicat & defendit universalem Jurisdictionem Romani Pontificis.

citavit. Schisma istud mox insecuta est Hæresis, quæ per longum tempus Ecclesias divisit, ac turbavit. II. Schisma *Donatistarum*, qui judicio Melchiadis Papæ se submittere nolentes, mystico Christi corpori gravissimum vulnus inflixerunt. III. Schisma *Photii*, qui ingenii dotibus, quas depravatis affectibus junxerat, abusus, ut a fulminibus Nicolai I. Romani Pontificis in Sede Constantinopolitana malis artibus occupata, se tutum præstaret, Ecclesiasticam Jurisdictionem in manus laicæ potestatis transtulit, & Græcorum Episcoporum animos pestifero ambitionis, & seditionis spiritu infecit, ut demum funestum illud schisma inter Græcos & Latinos erumperet, quod Græcorum Ecclesiam & Imperium in miserrimam, quam adhuc videmus, servitutem redegit.

Varia §. 163. IV. Non absimili fato Ecclesia Occidentalis turbata fuit per dirum schisma Seculo decimo quarto circa annum 1378. exortum ex pertinacia & ambitione quorundam Cardinalium, qui dum debitam reverentiam & obedientiam non præstabant suo Capiti, id demum effectum est, ut

ut tres Pontifices ſe oſtentarent orbi, ignaro, quem potiſſimum pro legitimo Chriſti Vicario veneraretur, donec in Concilio Conſtantienſi Anno 1417. eligeretur MARTINUS V., & reſiduæ Schiſmatis favillæ paulo poſt cum JOANNE GERSON, ſchiſmaticarum doctrinarum fautore 81.) omnino extinquerentur, annitentibus præſertim Germaniæ Principibus, quorum ope paulo poſt in Synodo Baſileenſi jam erumpens Schiſmatis incendium, ſtabilitis Concordatis Germaniæ ſopitum fuit 82.).

§. 164. V. Demum ad initium Seculi decimi ſexti ex doctrina Luthe- *Schiſmata.*

81.) Multa de hoc Viro legi poſſunt in Actis Concilii Conſtantienſis, editis ab HERMANNO VON DER HARDT. Item in Præfatione, quam M. DU PIN præfixit ſecundæ editioni Operum ejus.

82.) Pro tali caſu plurium Pontificum, quando prudenter dignoſci non poteſt, cujus electio ſit legitima, interim neutri eſſet adhærendum: ſed quilibet fidelis ſub obedientia ſui Epiſcopi ſtudeat eſſe membrum Eccleſiæ & veneretur Caput ejus Chriſtum, donec Eccleſia determinaverit certum Caput viſibile. Vid. SUAREZ de Schiſmate diſp. 12. ſect. 1.

ri, Calvini & aliorum, Pontificiæ autoritati adversantium, initium sumpsit schisma Ecclesiarum in Germania aliisque vicinis Provinciis 83.), devastatione regionum, & effusi sanguinis fluminibus nondum extinctum. Post contemptam Romani Pontificis autoritatem, in examen vocata est Jurisdictio Episcoporum, & per magnam Germaniæ partem conquiescere jussa: hac suppressa, subditi eadem innovandi licentia & impellente rebellionis spiritu audebant curiosius indagare, unde & ex quo jure profluat tam illimitata Dominorum suorum in subditos, eorumque Bona potestas, quæ nec antiquitate temporis, nec originis sanctitate Ecclesiasticam potestatem antecedit. Quantæ autem inde secutæ sint turbæ, quantæ devastationes & ruinæ Provinciarum, non tam in omnibus ultimorum seculorum histo-

riis

83.) De Schismate Regis Angliæ Henrici VIII. circa illud tempus exorti, videri potest Nicolaus Sanderus de Origine ac Progressu Schismatis Anglicani.

riis legimus, quam oculis adhuc aſpicimus & lugemus.

Novi Schiſmatum fautores

§. 165. Mirum quidem non eſt, quod nonnulli Scriptores Acatholici, qui nihil magis, quam unitatem Eccleſiæ averſantur, poſt firmatam utcunque pacem, libros *de libertate Eccleſiarum Germaniæ* in publicum protrudant 84.), conſarcinatis undequaque gravaminibus jam pridem pacifice abolitis: ſed omnem virorum prudentum admirationem ſuperat, quod his temporibus, ubi paſſim Chriſtiana Religio malis moribus & pejoribus doctrinis ſubruitur, nonnulli Catholico nomine gloriati, vexillum Schiſmatis erigere, & contra antiquiſſimam autoritatem ac Jurisdictionem Romani Pontificis ſeditioſis libris animare audeant I. Principes Chriſtianos, bene gnaros, eandem Poteſtatis ſuæ quæſtionem a ſeditioſis & jugi impatientibus ſubditis ſibi moveri poſſe. II. Epiſcopos Eccleſiæ Catholicæ, qui imminuta Romani Primatus autoritate, omnem vigorem Epiſcopalis Jurisdictionis langueſcere, & contempto Petri Succeſſore,

84.) Joannes Schilterus, aliique.

ceſſore, reliquorum Apoſtolorum Succeſſores conculcari ſentient, quod multarum Eccleſiarum Prælati ab exordio hujus Schiſmatis Germanici ſenſerunt, & adhuc ſentiunt graviſſime. III. Univerſitatum Profeſſores, qui ſua privilegia a Sede Romana obtinuerunt, & ſi ejusdem infallibilitate deſtituantur, ſacras doctrinas cujusvis Magiſtratus lubidini accommodare debebunt.

Ineptum præbent medium

§. 166. Id ſummopere contra rectam rationem pugnare videtur, quod ejusmodi Novatores doctrinam ſuam ad reuniendos diſſidentes in religione Chriſtianos aptiſſimam jactare audeant: cum tamen, ut experientia ſingulorum ſeculorum docet, ad hæreſin excitandam, & promovendam nulla certior ſit via, quam rupto unitatis vinculo ab autoritate Eccleſiæ Romanæ diſcedere. Quando autem dicunt, ſe ſolummodo poteſtatem Pontificum ad juſtos limites reducere, nequaquam abrogare; vox hæc eſt pluribus hæreticis communis, qui inane Primatus nomen in Cathedra Romana retineri facile tolerant, modo illi agendi ac judicandi poteſtas in rebus ad religionem pertinentibus

tibus eripiatur, ut proin nullus ſuperſit circa controverſias fidei & morum diſciplinam Judex competens in Eccleſia. Cum autem omne Schisma infamem arrogantiæ notam, negata ſubjectione ſub legitima poteſtate, ſecum ferat: ſingularis tamen jactantiæ atque ſuperbiæ argumentum eſt, dum nonnulli aſſerere non verentur, inutilia prorſus media gemino priori ſeculo ad reuniendos Acatholicos eſſe adhibita; ſed horum voluntati ex odio Pontificii dominatus ſauciatæ remedium non aliud debuiſſe afferri, quam compeſcendo dominatum Pontificis Romani. Cæcutiebant igitur Patres Tridentini, Imperatores ac Principes Catholici, quod unicum hoc tot malorum remedium non agnoverint: nunc autem DEus illuſtrat Germaniam orthodoxam, ad applicandum pro reuniendis Acatholicis tale remedium, quo adhibito Catholici non ſolum iisdem erroribus involverentur, ſed Germania tota ſupremo & infallibili Rectore deſtituta, in abominationum barathrum circa dogmata fidei recideret.

§. 167. Si quis diſſidentes hoc medio reuniendos eſſe exiſtimat, quem, *Ad reuniendos*

Acatholicos. amabo, ex suis erroribus acatholici deposituri sunt in gratiam exautorati Pontificis? Damnavit Concilium Tridentinum doctrinas varias de Eucharistia, aliisque Sacramentis, de Sacrificio Missæ, de Justificatione, de Indulgentiis, de veneratione & invocatione Sanctorum &c. in quo ipso tur ex his articulis consensuri Concilio fuissent acatholici, si simul abrogatus fuisset dominatus Pontificis? aut in quo nunc assensuros credimus, si recentium Novatorum doctrinam Catholici Principes, Episcopi & Theologi assumerent? Pergerent acatholici inhærere erroribus suis, multosque Catholicos ad eosdem amplectendos pertraherent. Politia hodiernorum reformatorum eo tendit, tollendum esse Judicem, ut crimina cessarent; abigendum esse Pastorem, ut oves cum lupis pacifice viverent; destruendam esse regulam credendi, ut omnis eliminetur fides Divina, inducereturque Indifferentismus, Libertinismus, Atheismus. Ex his abunde constat, debilitata potestate Romani Pontificis, induci perniciosum schisma, quo nullum est medium

dium ineptius ad reuniendos dissidentes 85.).

§. 168. Si Schisma hæresin conti- *Pœnæ*
neat, locum habent pœnæ hæretico- *Schismaticorum.*
rum. Si autem Schismatici circa dogmata fidei concordes sunt cum Romana Ecclesia, ob pertinaciam tamen suam & inobedientiam incidunt in excommunicationem Pontifici reservatam per Bullam Cœnæ 86.). Collationes beneficiorum, absolutiones & omnes actus jurisdictionales invalide peragunt 87.): Collationem autem sacrorum Ordinum ab Episcopo Schismatico factam, validam esse, regulariter dicitur: licet enim Episcopus Schismaticus privetur Jurisdictione & potestate Ecclesiastica, retinet tamen characterem ordinis:

85.) Vid. Tractatus de Schismate, cujus Autor nomine CHRISTIANUM, cognomine CATHOLICUM se vocat, ex gallico latine redditus a LIVINO DE MEYER S. J.

86.) Pœnæ a BONIFACIO VIII. C. un. de Schismat. in 6. in Columnenses latæ, revocatæ sunt a BENEDICTO XI. in Extravag. inter com. eod. tit.

87.) C. 1. & 2. de Schismat.

ordinatus autem a Schismatico suspensus est ab executione ordinum.

Quid sentiendum de Episcopis Anglicanis?

§. 169. Unde censent aliqui, Episcopos & Presbyteros Anglicanos valide esse ordinatos. Sed nullitatem harum ordinationum demonstrare conatur MICHAEL LE QUIEN contra famosum Petrum Franciscum le Courayer. Antiquiores etiam Scriptores Angliæ, præsertim THOMAS STAPLETONUS 88.) testantur, Episcopos Elisabethæ Reginæ, a quibus reliqui fuerunt ordinati, non fuisse veros Episcopos per manuum impositionem ab aliis Episcopis ordinatos, quod præcipue Le Quien ostendit de Matthæo Parcker Archiepiscopo Cantuariensi sub Elisabetha, a quo reliqui Episcopi ordinati sunt. Quidquid sit de hac quæstione facti, certum est, ordinatos ab Episcopo Schismatico, ipso jure suspensos esse ab exercitio ordinum; & collationem Beneficii Ecclesiastici omnino nullam & irritam esse; & de hac suspensione functionum ordinis, ac nullitate provisionis, intelligendos esse Canones, qui ejusmodi ordinationes dicunt esse irritas. Ti-

88.) Propugnac. fid. lib. 2. c. 8. & alibi

TITULUS XIV.

DE APOSTATIS ET REITERANTIBUS BAPTISMA.

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 9.

§. 170.

Apostatarum

APOSTASIA latine denotat desertionem, rebellionem, transfugium. Triplex solet assignari classis I. eorum, qui a tota fide christiana recedunt, assumendo Judaismum, Turcismum, seu Paganismum. II. Eorum, qui ab ordine approbato, in quo vota religiosa ediderunt, recedunt sine animo redeundi. III. Eorum, qui post susceptos Ordines sacros, dimisso habitu Clericali ad statum Laicalem, vel etiam matrimonialem propria temeritate transire attentant.

Pœnæ ex Jure Civili.

§. 171. In pœnis desertorum leges variarunt. Clerici desertores a JUSTINIANO traditi fuerunt Curiæ Civitatis, ministraturi in posterum publico, *quando Domini DEI servitio se abdicaverunt* 89.). Monachus desertor, substantia ejus in Monasterio remanente, inter officiales Præsidis, id est,

89.) L. 53. §. 1. C. de Episcop. & Cler.

est, inter apparitores Judicis statuebatur, & hunc habebat mutationis fructum, ut qui sacrum ministerium despexit, Tribunalis terreni obsequi vet servitutem 90.): postea magis placuit, eundem in Monasterium revocari 91.).

Ex Jure Canonico. §. 172. Hodie eos, qui a Fide Christiana recedunt, vel tales Apostatas fovent, gravissimis hæreticorum, & aliis pœnis, confiscationis bonorum, intestabilitatis, imo etiam ultimi supplicii subjacere, facile cuivis notum est. De iis, qui Religiosum Ordinem post vota Religiosa deserunt, præsertim dimisso habitu religioso, præter varias Censurarum pœnas, singularem Constitutionem edidit Concilium Tridentinum 92.), vi cujus etiam illi, qui Professionis suæ nullitatem allegare volunt, non audiantur, nisi intra quinquennium tantum a die Professionis: si quis autem antequam causas coram Superiore suo & Ordinario deduxerit, habitum sponte dimiserit; nullatenus ad allegandum quamcunque

90.) Novell. V. c. 6.
91.) Novell. 123. c. 42. Novell. Leonis 8
92.) Sess. 25. c. 19. de Regular.

que causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, interim vero nullo privilegio suæ Religionis juvetur. Ordinem servandum in causis super nullitate Professionis Regularis accurate præscribit BENEDICTUS XIV. 93.). Apostatæ ab Ordinibus sacris dimisso habitu & tonsura, Censuris Ecclesiasticis ad habitum resumendum compelluntur 94.): denique amittunt privilegium Canonis & fori, saltem si post trinam Episcopi monitionem se non emendaverint: si comprehendi possunt, incarcerantur tam severe, ut non nisi *vita sibi misera reservetur* 95.). De Reservato Ecclesiastico, & amissione Beneficii Ecclesiastici, alibi dictum 96.). Si quis autem in sacris Ordinibus constitutus, & Beneficium Ecclesiasticum possidens, matrimonium contrahere attentat, merito præsumitur deserere Catholicam fidem, & præter pœnas Canonicas, ex Pace Religionis, ac

93.) Bullarii sui tom. 2. Const. 47.
94.) C. 3. h. t.
95.) C. 5. eod.
96.) Præcogn. Jur. Can. tit. 19. §. 393. n. V. & 397. n. V.

ac Instrumento Pacis Westphalicæ, perdere beneficium, dignitatem, reditus &c.

Pœnæ transfugarum militum.

§. 173. Huc commode trahi potest crimen desertionis, qua milites a signis suis, ad quæ juramento se adstrinxerunt, aufugiunt. Huic desertioni omnes leges militares pœnam mortis statuunt, & quidem ob circumstantias aggravantes, pœnam laqueï: si vero deprehendantur causæ temperandi pœnam, desertor virgidemiam subire, id est, commilitonibus suis longo ordine utrinque stantibus, nudatum tergum virgulis cædendum præbere debet 97.). Circumstantiæ aggravantes sunt, si quis jam veteranus, aut in honoratiore officio constitutus sit; si per iteratam desertionem habitum contraxisse videatur; si quis alios ad eandem perfidiam solicitet, aut secum du-

cat;

97.) Milites Romani a Centurionibus vite cædebantur; in exteros virgis animadverti mos erat. Unde vitis gestamen erat Centurionum. TACITUS lib. I Annal. c. 23. de Centurione Lucilio loquitur, *cui militaribus facetiis vocabulum, cedo alteram, indiderant, quod fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, & rursus alteram poscebat.*

eat; si quis ex ipsa statione, quam tenere deberet, & quidem cum armis profugiat, præsertim belli tempore; si quis insequentibus armata manu resistat; si quis falsificatis literis ad tutiorem fugam utatur &c. Circumstantiæ diminuentes sunt, si quis adhuc sit novitius; si contra voluntatem suam militiæ adscriptus sit; si promissa stipendia non rite acceperit; si pacis tempore sua obsequia parum utilia inter milites crediderit &c.

Reiterantes Baptisma

§. 174. Apostatis affines sunt, qui reiterant Baptisma: unde in Corpore Juris Canonici conjungitur Rubrica *de Apostatis & reiterantibus Baptisma.* Non intelligimus hoc loco eos, qui tertio post Christum natum seculo, sedente STEPHANO Pontifice, quæstionem nondum tunc temporis ab Ecclesia decisam agitarunt, an baptizati ab Hæreticis, denuo sint rebaptizandi, quando ad fidem Catholicam transeunt: affirmativæ opinioni adhærere visus est S. CYPRIANUS cum quibusdam Africanis Conciliis. STEPHANUS autem Papa decrevit, eos non esse rebaptizandos, modo legitima materia & forma Baptismi sit adhibita.

§. 175.

Post decisionem Ecclesiæ,

§. 175. Facta jam decisione Ecclesiæ, ex schismaticis potissimum principis variis temporibus se prodidit hæresis rebaptizantium, præsertim in Africa Seculo IV. & V., ubi Donatistæ & Eunomiani iterabant Baptismum. Contra hos videntur ferri plures Leges Codicis Theodosiani Tit. *Ne sanctum Baptisma iteretur:* datæ enim sunt Leges illæ in Africam, Sedem præcipuam eorum hæreticorum. Tempore S. BERNARDI Baptismum in majori ætate conferebant aliqui, cum infantes ejusdem incapaces crederent 98.).

Ubique damnantur.

§. 176. Recentiores Anabaptistæ, qui præter alia abominanda dogmata negabant Baptismum prodesse infantibus, eoquod fidem non habeant, varios duces sequebantur, qui se doctrinam suam ex scriptis Lutheri hausisse jactabant, præsertim BALTHASAR PACIMONTANUS 99.). Dispersos ubique

98.) S. BERNARDUS serm. 66. in Cant. & Epist. 240. ubi perstringit HENRICUM PETRI DE BRUIS hæretici successorem.

99.) Vid. COCHLÆUS de Actis & Scriptis Lutheri ad ann. 1527. & 28. BELLARM. de Controv. fid. tom. 3. de Baptism. l. 1. c. 8.

que nefandæ doctrinæ sectatores, ubique investigabat, & ad supplicium trahebat Petrus Aichele, quem Principes Catholici sub nomine Ligæ Suevicæ uniti, sententiarum suarum contra novatores executorem constituerant. Unde plurimi in Suevia damnati ad mortem, viri capite truncati, feminæ aquis submersæ sunt. Præcipuam sedem ponebant Monasterii in Westphalia, ubi Regem venerabantur Joannem a Leyden, opificio sartorem. Contra hanc sceleratam turbam Episcopus Monasterien-sis arma Principum Imperii imploravit,& obtinuit 100). Sectæ hujus reliquias adhuc hodie deprehendimus in Germania, nescio quo jure toleratas: cum Leges Imperii tam rebaptizantes, & eorum ministros, quam rebaptizatos pœna ignis vel gladii; Sacri Canones autem Irregularitate, depositione a Clericatu, & aliis gravissimis pœnis exterminatos velint. Judæus baptizatus in aliquo loco, si lucr causa rebaptizari se curat in alio loco

O punitur

100.) Vid. Recessus Imperii Wormatiæ anno 1530.

punitur fustigatione & perpetuo exilio, tanquam reus de crimine falsi 1.).

TITULUS XV.

DE ALIIS CRIMINIBUS CONTRA FIDEM, PRÆSERTIM DE JUDÆIS.

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 6. Clement. Tit. 2. Extravag. Joann. XXII. Tit. 8. Commun. Lib. V. Tit. 2.

§. 177.

Infidelibus non deberet permitti habitatio inter Catholicos:

HÆRESIS & Schisma proprie est fidelium, seu baptizatorum, qui per baptismum ingressi sunt in Ecclesiam, & vel ab ipsius fide, saltem in aliquo articulo, vel ab obedientia secedunt. Infideles autem dicuntur, qui carent baptismo & fide in Christum. Ex his aliqui vocantur Gentiles, Ethnici, vel Idololatræ, qui rebus creatis latriæ cultum exhibent. Alii dicuntur *Saraceni*, qui sequuntur Mahometis sectam, uti sunt Turcæ, Tartari, Persæ, Arabes, Ægyptii, qui aliquem vero Numini cultum

1.) Vid. Jodoc. Beck de Jur. Judæor. fol. 331. seqq.

tum exhibent, sed secundum leges Alcorani. Alii sunt *Judæi*, qui veteri Testamento circa præcepta ceremonialia & judicialia jam abrogata inhærent, contempta lege Christi, quem venturum credunt, cum ex ipsa Evangelii dilatatione & impletis Prophetiis Eum jam pridem venisse luculenter convincantur.

Multo minus auxilium præstari contra Catholicos.

§. 178. Ut Idololatræ aut Turcæ tolerentur inter Christianos subditos vivere, nunquam permittendum est a Principe. Directe tamen & per se cogi non possunt ad suscipiendum Baptismum, & Religionem Christianam. Posse Principem Christianum non solum uti opera suorum subditorum infidelium, sed etiam inire fœdus cum externis infidelibus, illorumque auxilium adhibere contra alium Principem Christianum, permittunt plurimi, si summa necessitas urget, quæ aliter vitari non potest, addito tamen monito, ut ex tali auxilio Christiana Religio detrimentum non patiatur. Ut autem Princeps Catholicus præstet auxilium infidelibus contra Catholicos, vix unquam continget, ut fiat licitum. In Bulla Cœnæ *Art.* 7. excommunicantur illi, qui

ad Christiani nominis hostes deferunt seu transmittunt arma atque bellica instrumenta, quibus impugnentur Christiani. Ab hac Censura vix immunes se præstabunt, qui auxilium infidelibus in bello contra fideles præstant 2.).

Tolerantur tamen Judæi,

§. 179. Tolerari tamen possunt Judæi, ubi jam recepti sunt, cum sint testes revelationum de Christo factarum in veteri testamento; præbeant exemplum vindictæ Divinæ, & aliquando sint convertendi ad fidem Christianam, ut sit unus Pastor, & unum ovile. Unde Saraceni & alii infideles censentur hostes Christianorum; Judæi servorum ac captivorum loco habentur. Nimia tamen familiaritas cum illis est evitanda, *ne reddant* Christianis *pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum, qui tanquam misericorditer in nostram familiaritatem admissi, nobis illam retributionem impendunt, quam juxta vulgare proverbium, mus in pera, serpens in gremio, &*

2.) Vid. Emmanuel Correa Idea Consiliarii, Disput. 6. sect. 2. §. 3. n. 1400. seqq.

& ignis in sinu, suis consueverunt hospitibus exhibere 3.).

§. 180. Imo etiam Judæi baptizati olim valde suspecti habebantur, & eorum liberi arcebantur a dignitatibus: postea mitius actum; nec repelluntur a beneficiis Ecclesiasticis, si sincere fidem susceperint, & hanc sinceritatem bonis moribus probaverint 4.). Quibusdam tamen populis ea diffidentia contra conversos Judæos inhæret, ut hæc macula vix per quatuor generationes deleri possit: unde etiam quidam Ordines Religiosi coguntur filios ac nepotes Judæorum ab ingressu suæ Religionis repellere, ne in ejusmodi Regnis malæ famæ maculam contrahant 5.). Ne autem Judæi non satis cogniti in familiaritatem Christianorum irrepant, in variis Provinciis ordinatum fuit, ut in vestibus distinguantur a

Cum opportunis cautelis.

3.) C. 13. de Judæis, ubi refertur propudiosus mos tractandi Christianas nutrices suorum filiorum.

4.) C. 7. de Rescript. & ibid. Gonzalez. Fragosus de Rep. Christ. p. 1. lib. 1. disp. 2. §. 8.

5.) Fuse & erudite de hac re discurrit Aug. Barbosa Voto 93.

Christianis. Viri gestare deberent annulum flavum in veste, feminæ cæruleas notas in peplo 6.). Hæc varietas vestium translata est in jus commune per Concilium Lateranense 7.). Romæ meretrices ab honestis matronis veste erant distinctæ, & servi a liberis. Hanc legem instauravit ALEXANDER SEVERUS, sed Ulpiani Paulique consilio eam remisit 8.). In Germania hoc signum, quo Judæi discerni possint, passim non amplius urgetur: videtur tamen DEus eos signasse, ut facile a Christianis distinguantur.

Jus recipiendi Judæos.

§ 181. Jus eos recipiendi in Imperio erat olim Imperatori reservatum. FRIDERICUS II., inter Cæsares primus Judæos diserte nominasse creditur servos Cameræ suæ 9.): quamvis

6.) Reform. Polit. August. ann. 1530 tit. 22. §. 1.

7.) C. 15. de Judæis.

8.) Vid. ÆLIUS LAMPRIDIUS in vita ALEXANDRI SEVERI. Universim quæri potest, an in civitate utilis sit diversitas habitus ad dignoscendos omnes gradus hominum? Discussio hujus quæstionis non est hujus loci.

9.) Kayserliche Fiscal- oder Cammer-Knechte.

vis jam priores Imperatores eodem jure in eos usi sint. Servitus autem ista præcipue consistit in obligatione annui census præstandi, cum Imperator vicissim specialiter eos protegat. Si quid Status Imperii attentant circa Judæos, id ex concessione Cæsarum & intuitu Regalium, quæ ab Imperatore & ab Imperio obtinent, fieri censetur 10.). Singulare privilegium datur Electoribus in aurea Bulla 11.). His temporibus omnes Status immediati exercere possunt jus admittendi Judæos: multi tamen prudenter abstinent. Qui autem recipiunt, etiam Jurisdictionem in eos exercent. In Comitiis Imperii tam ordinariis, quam Electionis & Coronationis Cæsareæ, Judæi in urbe illa, ubi Comitia celebrantur, morantes, peculiari Archi-Mareschalli Imperii protectioni subsunt. Unde Ratisbonæ, quia ibi Comitia perpetuo continuantur, inita est conventio inter Comitem Pappenhemium tanquam Mareschallum Imperii, &

10.) Reform. Polit. August. 1530. tit. 27. & 1548. tit. 20. item anno 1577. tit. 20.
11.) Tit. 9. §. 2.

Magistratum Ratisbonensem, qui promisit, se quatuor familias Judaicas toleraturum, sub protectione Mareschalli negotiaturos, cui singulæ quot annis certam pendunt pecuniæ summam 12.).

Persecutio Judæorum.

§. 182. Multa autem turbulentis illis seculis XIII. & XIV. violenter & ex usurpata potestate in Judæos acta sunt. Ex multis locis expulsos legimus propter multa scelera, præsertim enecatos liberos Christianorum, uti Simonis Tridentini, Andreæ ex loco Rhinn prope Oenipontum. An omnes ejusmodi historiæ sint veræ, aliis examinandum relinquimus. Monachii in Bavaria anno 1285. occidisse dicuntur infantem ab anu Christiana venditum: quapropter ab exacerbato populo 180. Judæi combusti fuerunt. Seculo XIV. per Germaniam magna ubique persecutio Judæorum exorta est: unde dicuntur originem ducere Zingari, scilicet ex Judæis se occultantibus in sylvis. Judæi ex Hispania pulsi, varias artes transtulerunt ad Turcas: unde

12.) Vid. Pfeffinger ad Vitriar. tom 3 fol. 1278. seqq.

unde censent aliqui, consultius fuisse, ut redigerentur in servitutem Hispanorum.

§. 183. Ubi hodie Judæi in Germania inter Christianos vivunt, non sunt cives, sed degunt sub protectione Principis, cui etiam præstant annuum censum 13.). Ante paucos annos Parlamentum Angliæ concessit illis jus civitatis: sequenti anno mox iterum abrogavit. Utuntur ut plurimum Lege Mosaica in iis, quæ ad Religionis ceremonias pertinent: unde non citantur in Judicium die Sabbathi, & Christianis permittitur, ut eodem die Sabbathi aliquas operas illis præstent. In iis tamen, quæ concernunt regimen politicum, observare debent leges communes, etiam Canonicas. Igitur non permittuntur ipsis usuræ; quoad annuos census non plus possunt accipere, quam 5. pro 100.; nec in instrumentis obligationem super ejusmodi contractu erigendis adhibenda est lingua Hebraica, sed solum Germanica. Non admittuntur ad publicas dignitates,

Servant Judæi leges communes:

13.) Schuz-Verwandte, Schuz-Gelt.

tates, vel publica officia 14.): neque ad Doctoris gradum in plerisque Academiis: possunt tamen esse Medici, vel Chirurgi, quia apud Romanos hanc artem exercuerunt etiam servi, qui ab omnibus dignitatibus excludebantur. Admittuntur autem ad locationem vectigalium; quia non est officium publicum, sed genus negotiationis, quo eis interdictum non est, servatis tamen debitis cautelis 15.).

Quoad matrimonia utuntur Legibus Mosaicis

§. 184. Quoad impedimenta matrimonii utuntur Legibus Mosaicis, quæ prohibent matrimonium I. cum matre. II. Filia. III. Noverca. IV. Sorore. V. Nepte ex filio vel filia. VI. Sorore patris. VII. Sorore matris. VIII. Uxore patrui. IX. Nurui. X. Fratris uxore. XI. Privigna. XII. Privigni filia. XIII. Socru. XIV. Uxoris sorore, saltem vivente uxore. Libellus repudii non quidem legibus Imperii ipsis est interdictus: nihilominus ipsi habent ejusmodi leges inter se, & pretiosos ritus, ut rarissime utantur hoc libello. In casu, quo

14.) C. 16. de Judæis. L. ult. C. eod.
15.) C. 18. eod.

quo maritus baptizatur, & uxore pacifice non cohabitante, ad alias nuptias transit, non potest, prohibente Lege Evangelii, cui jam per baptismum subjectus est, libellum repudii dare uxori Judææ, licet hæc grave damnum inde patiatur, cum inter suos contribules non inventura sit alium maritum, nisi exhibere possit libellum repudii a priore marito solenniter & Rabbinico ritu datum 16.). Causæ matrimoniales Judæorum annumerantur causis secularibus, & ideo non trahuntur ad Consistoria Episcopalia, *Cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus: quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt, judicare* 17.)?

§. 185. Singu'ariter in Germánia prohibitum est, ne Judæi actiones suas, quas habent contra Christianum, *Quoad Judicialia*,

16.) Vid. Benedicti XIV. Bullar. tom. 2. Const. 38. qui Const. 28. disquirit, an liberi Judæorum invitis parentibus possint baptizari: ubi etiam de Baptismo adultorum Judæorum a §. 32.

17.) Conc. Trid. Sess. 14. de Pœnit. C. 2. C. 8. de divortiis.

num, cedant alteri Christiano, exceptis tamen indossationibus Cambiorum. Similiter contractus inter Judæum & Christianum debet fieri coram Magistratu legitimo Christiani 18.), exceptis contractibus & commerciis in publicis & privilegiatis nundinis. Quamvis Judæi in judiciis admitti possint ad solenne Juramentum; summopere tamen Judex cavebit, ut nihil desit ex iis, quæ ex vana observatione apud Judæos requiruntur; censent enim, juramentum non habere vires obligandi, nisi scrupulose observentur omnes solennitates apud se consuetæ. Formulas talis juramenti varias varii referunt, etiam ordinatio Cameræ Imperialis 19.). Etiamsi omnia cautissime observentur, non deberet tamen Christianus fiduciam habere in Juramento Judæi, cum isti solenni quodam die, scilicet decimo mensis Tisri, quem dicunt *Jom Kippur*, diem

18.) Recess. Imp. August. 1551. §. 79.
19.) Ord. Cam. p. 1. tit. 86. & Concept. Ord. Cam. tit. 98.

diem expiationis 20.) absolvantur ab omnibus juramentis 21.).

§. 186. Delicta Judæorum puniuntur juxta leges communes : nulla autem lex statuit, ut Judæus furti reus, juxta vulgi persuasionem, pedibus suspendatur, adjuncto cane: sed collum laqueo inferendum est, prout fit apud Christianos, nisi ob blasphemias aut alias circumstantias aggravantes, exasperanda sit pœna. Judæus Christianum ad Judaicam Religionem & circumcisionem pertrahens, punitur bonorum proscriptione & perpetuo exilio 22.): hodie pœna capitis locum habet 23). Qui aliquem ex sua secta conversum & baptizatum male tractet, & ei vim inferat, juxta leges comburendus esset

Et Criminalia

20.) De quo Levit. XXIII. 27. seqq.

21.) Jodocus Beck de Jurib. Judæor. Bodenschaz de hodiernis ritibus Judæorum part. 2. c. 5.

22.) L. 16. & 18. C. de Judæis.

23.) Regulariter proscriptioni bonorum & deportationi in Legibus Romanis constitutæ, hodie substituitur decollatio. Julius Clar. recept. sent. lib. 5. §. homicidium. n. 18. item §. fin. quæst. 67. n. 8.

esset cum omnibus suis participibu
24.). Polygamia Judæis hodiernis
est prohibita 25.) : unde si quis ju-
dæus alteram uxorem duceret, pu-
niretur, sicut apud Christianos con-
suetum est, nisi priori uxori dedisse
libellum repudii.

Subsunt Legibus communibus.

§. 187. Matrimonium inter Judæum
& Christianam, & vicissim, punitur
ut adulterium 26.). Fornicatio inter
Judæum & Christianam, vel vicissim,
severius punitur, quam commissa
inter Christianos. Sicut Christianus,
qui Judæo consecratam hostiam ven-
dit, igne comburitur, sic ipse Ju-
dæus, qui eam emit, & ad usus im-
pios adhibuit, eadem pœna punitur.
Judæus, qui Clerico violentas ma-
nus injecit, puniendus est pœna tem-
porali: si Ecclesiæ non satisfiat, Chri-
stianis interdicitur, ne cum ipso Ju-
dæo præsumant commercia exercere
27.); horum enim summa pœna est,
si nemo cum ipsis commercia exer-
cet. Vicissim pœnam homicidii in-
currit

24.) L. 3. C. de Judæis.
25.) L. 7. C. eod. C. 8. de divort
26.) L. 6. eod.
27.) C. 14. de Judæis.

currit etiam ille, qui Judæum occidit: nihilominus proprie Assasinii reus non est, qui aliquem pretio conducit, ut Judæum occidat; nam Assasinii reus dicitur, qui *quempiam Christianorum* per Assasinos interfici fecerit. Judæus, qui baptizatur, potest puniri ob crimina ante baptismum commissa sicut Christianus post peractam pœnitentiam: potest tamen baptismus esse causa mitigandi vel remittendi pœnam. Si autem Judæus post Baptismum in Apostasiam incidat, non gaudet Jure Asyli, sed ab Inquisitore extrahi potest 28.)

§. 188. Dubitant tamen aliqui, an Judæo ad mortem condemnato in loco christiano permittendum sit, ut Rabbi Judæus ei assistat in via & usque ad completam executionem sententiæ? Certum est, suppeditanda esse tali Judæo sufficientia media ad agnoscendum suum errorem, & amplectendam fidem Catholicam, missis ad ipsum Sacerdotibus Catholicis, qui

De Judæo condemnato ad mortem.

28.) Benedictus XIV. Bullar. tom. 3. Const. 40. §. 3.

qui possint illum instruere : eo tamen pertinaciter erroribus suis adhærente, censent aliqui 29.) permittendam ipsi esse assistentiam Rabbini: cum enim Catholici Principes permittant Judæis liberum exercitium suæ religionis, circumcisionem filiorum, celebrationem Sabbathi, matrimonii contractum juxta leges Hebræas ; hinc etiam censent, non denegandum ipsis esse hoc solatium, ut habeant assistentem Rabbinum, quando nulla spes supereſt conversionis. Quidquid hac in re decernant Magistratus Acatholici, ex quorum principiis Autores aliqui loquuntur, certe a Magistratu Catholico id nunquam permittetur, nec permitti poterit sine gravi scandalo Catholicorum, qui ad ejusmodi executiones solent concurrere : nam Judæus magis confirmaretur in sua pertinacia, & Catholici videre ac audire deberent multa Christo injuriosa.

TITU-

29.) Jodocus Beck de Jurib. Judæor. c. 13. §. 26.

TITULUS XVI.

SELECTÆ QUÆSTIONES AD EXERCITIUM RELIGIONIS IN GERMANIA PERTINENTES.

§. 189.

Cultus externus debetur DEO.

SIcut fractæ pacis profanæ, ita etiam fractæ pacis Religionis causas merito annumeramus criminalibus in Germania: unde pro majore cautela obſervanda, & vitanda omni turbarum occaſione, de exercitio Religionis quæſtiones aliquas annectere, opportunum credo. Certum eſt, DEum exigere aliquem cultum non ſolum internum, ſed etiam externum religioſe ſibi exhibendum. Impie nonnulli ſentiunt cum Demonacte, qui accuſatus, quod nunquam viſus ſit ſacrificare Minervæ, reſpondit: nequaquam Deam ſacris per me oblatis egere exiſtimabam 30.). Scimus, DEum non indigere noſtris obſequiis: nunquid carnes taurorum manducabo, aut ſanguinem hircorum

P pota-

30.) Lucianus in Demonacte, tom. 2. fol. 567.

potabo ? & tamen populo suo præcepit oblationem victimarum. Nostris obsequiis non succurrimus indigentiæ DEI, sed satisfacimus obligationi nostræ.

Exercitium ejusdem in Germania,

§. 190. Cultus hic per multa secula DEO in Germania tributus fuit juxta ritus Romanæ Ecclesiæ, donec seculo XV. & XVI. cum articulis Fidei, tota disciplina Cultus Divini subversa fuit a Novatoribus quibusdam, quorum placita demum tolerata fuerunt per Transactionem Passavienſem, Pacem Religionis Augustanam, & Instrumentum Pacis Westphalicæ 31.). Multi defendunt, ea pacta fuisse *licite* inita ob summam necessitatem, & periculum gravioris circa Religionem damni. Quoad eorum *valorem*, certum est Catholicis, illas conventiones non adeo esse validas, ut Protestantibus acquisitum sit jus: posse tamen ita esse valida, ut subditi teneantur observare articulos, de quibus ibi conventum est; proin non est orta justitia commutativa, sed ad summum legalis; id est, con-

31.) De his pauca quædam dicta sunt in Præcognit. Jur. Canon. §. 388. seqq.

conventiones illæ habent rationem legis publicæ, quæ poteſt permittere malum ad evitanda majora mala : igitur ſubditi Catholici poſſunt teneri, ne impediant uſum permiſſi legibus publicis exercitii religionis, a Romana Eccleſia damnaræ.

§. 191. Plenam poteſtatem de hac re in ſuis Provinciis diſponendi, poſt Pacem Religioſam ſibi ſumpſerunt & uſurparunt Principes Acatholici juxta Brocardicon Lutheranorum, *cujus Regio, illius & Religio*, deſumptum non ex Evangelio, ſed ex principiis Ethnicorum. Sic Judex Æmilianus ad S. Fructuoſum & ſocios dicit 32.): *Juſſum eſt Cæſaris ore Gallieni: QUOD PRINCEPS COLIT, HOC COLAMUS OMNES.* Cum igitur ab hoc tempore Statibus immediatis cum Jure territorii & ſupericritatis ex communi per totum Imperium uſitata praxi, etiam *Jus Reformandi* exercitium Religionis competere crederetur; conventum poſtea fuit per Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ 33.), hoc idem porro quoque ab utriusque Religio-

Poſt Pacem Weſtphalicam,

32.) Apud PRUDENTIUM PERISTEPHANON Hymno ſexto.

33.) Art. V. §. 30.

nis ſtatibus obſervari, nullique ſtatui immediato jus, quod ipſi ratione territorii & ſuperioritatis in negotio Religionis competit, impediri oportere.

Cujus Regula explicatur. §. 192. Licet ex his dubitari non poſſit, *Jus reformandi exercitium religionis* in Germania *ETIAM* ex tabulis Pacis Weſtphalicæ competere Principibus Catholicis, & uſum hujus juris a Proteſtantibus impediri non oportere, multa tamen dubia moventur, quousque ſe jus iſtud extendat in Civitate vel Provincia a Proteſtantibus inhabitata, & Principi Catholico ſubdita. Nam poſt ſuperius allegata ex §o. 30. *Art. V.* Inſtrumenti Pacis, diſponitur *in* §o. 31. *ut ſubditi, qui ſive publicum, ſive privatum Augustanæ Confeſſionis exercitium anno* 1624. *quacunque anni parte habuerunt, retineant id etiam imposterum &c.* Putant aliqui in dicto §o. 30. contineri regulam, qua conceditur jus reformandi: in §o. 31. autem contineri exceptionem, ut vi hujus juris illæſum maneat exercitium adverſæ religionis juxta obſervantiam anni 1624. Proteſtantes autem plerumque dicunt, in §o. 31. contineri regulam, juxta quam jus refor-

reformandi exerceri possit, ac debeat. Mihi videtur lis ista ex æquivoco usu vocis *Regula* oriri. Apud Jurisconsultos Regularum nomine intelliguntur Sententiæ, Definitiones, Axiomata, Maximæ, quæ ex plurium legum mente, notata atque animadversa, paucis verbis summam earum consensionem & tanquam harmoniam complectuntur. Unde juxta JCtum Paulum 34.) *per Regulam brevis rerum narratio traditur.* Sic Vegetius 35.) recenset *Regulas bellorum generales*; idem Aphorismi Hippocratis præstant Medicis, Postulata Geometris. In hoc sensu allegatus §.*us* 30.*mus* Instrumenti Pacis continet Regulam, desumptam ex Jure Principum juxta principia Protestantium: tales Regulæ habent suas limitationes, Exceptiones & Fallentias, qualis continetur in §.o 31.*mo* ut illæsum maneat exercitium Religionis anno 1624. observatum. In alio sensu per Regulam intelligimus normam, juxta quam negotium aliquod fieri debet; dicitur enim *Regula* quasi regens mensuram,

34.) L. 1. ff. de R. J.
35.) De Re Militari lib. 3. c. 26.

ſuram, græce κανων, γνωμων. In hoc enſu §.*us* 31.*mus* continet regulam, ad quam commenſurari debet Jus Reformandi. Quam Regulam in his cauſis ipſo facto adhibeant Proteſtantes, declarat & candide fatetur quidam ex eorum aſſeclis, ubi de Jure reformandi ſcribit 36.), eos ſequi *Regulam convenientiæ*, ex qua vel aſſerunt, vel negant jus reformandi, prout rebus ſuis magis vel minus convenire videtur 37.).

Auſtriaci & Bavari non ſubjacent anno normali.

§. 193. Jus igitur iſtud adeo extendi non debet, ut turbetur exercitium anni 1624. qui proin plerumque dici ſolet *annus normalis*, ad cujus obſervantiam reſtitui debebant omnia, quæ circa Religionem, usque ad annum 1648., quo Pax Weſtphalica concluſa fuerat, mutata fuerunt. In terris Auſtriacis, ubi anno 1624. multi fuerant Acatholici, nequaquam obſervantia hujus anni reſtringebat Jus reformandi, quod expreſſis verbis

36.) Apud LUNIG Script. Illuſtr. Nat. fol. 230.

37.) De hoc Jure Convenientiæ legi meretur Autor Anonymus in cauſa Hohenlohe contra Hohenlohe ſcribens anno 1750.

bis Domui Auſtriacæ absque ulla limitatione convenire ſtatuitur 38.). In Sileſia tamen *ad interventionem Regiæ Majeſtatis Sueciæ & in gratiam intercedentium Auguſtanæ Confeſſionis Statuum* aliquod exercitium Proteſtantibus permiſſum fuit 39.). MAXIMILIANUS Elector Bavariæ ſuo pro Religione zelo tantam reverentiam ſibi conciliaverat, ut nemo auſus fuerit de Lutheranæ Religionis exercitio in Bavaria tolerando mentionem facere: in ſuperiore Palatinatu tentarunt quidem id obtinere nonnulli Nobiles; ſed MAXIMILIANUS potius ſe regione illa abdicare, quam limitationem juris reformandi admittere, conſtitutum habebat 40.). Etiam Duces Neoburgici ex regula territoriali libere reformarunt exercitium Religionis. Imo cenſent aliqui, limitationem juris reformandi ad annum 1624. reſtrictam, concernere ſolummodo illos Principes Eccleſiaſticos, in quo-

38.) Inſtr. Pac. Weſtph. Art. V. §. 41.
39.) Ibid. §. 39.
40.) Circa Bavariam Vid. Act. Pac. Weſtph. p. 4. f. 903. 909. 937. Circa Palatinatum Superiorem Vid. Exec. Pac. tom. 1. fol. 871. 873. item tom. 2. fol. 19.

rum ditionibus tolerandi fuiſſent Proteſtantes ex famoſa Declaratione FERDINANDI I., de qua brevem annotationem facere oportet.

Aſſerta Declaratio Ferdinandi I.

§. 194. Poſtquam Proteſtantes in Comitiis Auguſtanis autonomiam ſeu libertatem exercendæ Religionis ſuæ omnibus promiſcue in Imperio impetrare fruſtra laboraſſent 41.), conſulere ſaltem volebant ſubditis quorundam Principum Eccleſiaſticorum. Unde FERDINANDUS I. Rex Romanorum, qui nomine Fratris ſui Caroli V. Imperatoris præſidebat Comitiis Auguſtanis, pridie concluſæ ibidem Pacis, 24. Septemb. anno 1555. Dedecla-

41.) Illorum intentioni præcipue obſtabat Reſervatum Eccleſiaſticum in illis Comitiis conſtitutum a FERDINANDO I. in favorem Religionis Catholicæ, circa iſtud in Hierarch. Eccl. §. 49. notatum fuit, cenſeri a Religione Catholica deficere, qui poſt ſacros Ordines in Germania matrimonium contrahere attentat. Huic aſſertioni contradicit CRANIUS in Diſſert. Polit. de Conſt. Relig. p. 1. probl. 11. ex blaſphema illa ratione, quod juramentum de ſervando cælibatu eſt impium & contra bonos mores, & votum eſt turpe, proin non ſervandum: quæ doctrina aperte opponitur juri naturali & Divino.

clarationem Proteſtantibus conceſſiſſe dicitur, vi cujus contra ipſos Pacis illius articulos, poſtero die ſubſcriptione omnium Statuum roborandos, ſalvum jubetur eſſe exercitium Religionis Lutheranæ ſubditis quorundam Principum Eccleſiaſticorum. Per 20. annos occultabatur hoc Decretum, & denique vulgabatur, quando anno 1574. Balthaſar Abbas Fuldenſis ſubditos ſui territorii, qui a fide Catholica defecerant, ad eandem reducere aggrederetur. Sed a Catholicis pro ſuppoſititio habebatur, cum de tali declaratione nihil hucusque conſtiterit, etiamſi adhuc viverent Legati aliqui in Comitiis Auguſtanis præſentes, qualis erat FRANCISCUS BURGHARDUS 42) pro Electore Colonienſi.

42.) Hic in libro de Autonomia refert ipſum Decretum lib. 1. c. 6. fol. 88. ejusque nullitatem oſtendit lib. 3. c. 33. fol. 448. ſeqq. quem ſequuntur JCti. Dilingenſes in Pacis Compoſit. c. 6. q. 45. Eandem formulam GOLDASTUS refert inter Conſtitut. Imperial. Volum. 2. N. 25. fol. 197. item CHRISTOPH. LEHMANNUS de Pace Religion. lib. 1. c. 28. ubi c. 23. recenſet colloquia, quæ circa iſtud negotium habita fuiſſe ſibi imagi-

nienſi. Volebant poſtea Electores Acatholici, ut mentio hujus declarationis fieret in Capitulatione RUDOLPHI II., ſed obſiſtebant Electores Catholici Eccleſiaſtici 43.).

Habita pro ſuppoſititia.

§. 195. Nec meliorem ſortem obtinuit hæc Declaratio Ferdinandea tempore tractatæ Pacis Weſtphalicæ 44.). Cum igitur ex dicta Declaratione obtinere Proteſtantes nihil poſſent, aliam viam inierunt ad idem impetrandum, proponendo ſcilicet certum annum, nempe 1624., ad cujus normam exercitium Religionis reduceretur: unde aliqui concludunt, hanc ipſam determinationem dicti anni intelligendam ſolummodo eſſe de illis ditionibus Principum Eccleſiaſticorum, de quibus intelligenda fuiſſet Declaratio Ferdinandea, ſi de ejus authentica conceſſione conſtitiſſet. Non eſt hujus loci, longius examen

natur coram Legatis Catholicis, in quorum monumentis, Relationibus aut Protocollis nec minimum apparet veſtigium de hoc negotio.

43.) Idem LEHMANN l. 2. c. 15. & 16.

44.) Quid eo tempore de hac Declaratione actum ſit, videatur in MEJERI Act. Pac. Weſtph. loca allegantur ibid. in Indice. Verb. *Ferdinantiſche Declaration.*

amen de hac re instituere. Id solum noto, hanc declarationem iisdem fere verbis & formulis conceptam esse, quibus FERDINANDUS sua autoritate, invitis Protestantibus, constituit Reservatum Ecclesiasticum. Unde colligitur, hoc decretum, quacunque arte procusum, esse ex mera æmulatione, ut Protestantes se vindicent contra decretum Reservati in his ipsis Comitiis promulgatum publice, non autem prout contigit in hac declaratione, ita occulte, ut per viginti annos nemo notitiam habuerit.

Simultaneum a Principe Catholico

§. 196. Ubi igitur ex quacunque demum ratione exercitium Religionis Lutheranæ vel Calvinianæ tolerandum est, quæstio agitatur, an Princeps Catholicus ejusdem urbis vel ditionis, vi juris reformandi in eundem locum invehere possit exercitium Religionis Catholicæ, licet illud anno 1624. ibidem non viguerit. Aliis verbis proponitur hæc quæstio, scilicet, an introduci possit simultaneum Religionis Catholicæ in iis locis, in quibus anno 1624. solum Protestanticum observabatur. Nemo exspectat, ut in hoc opusculum compingatur accurata tractatio ejusmodi

modi quæstionum : pauca annotare juvat.

Introduci potest: §. 197. I. Principes Christiani jure Divino tenentur subditos suos dirigere ad cultum Divinum, iisque providere de mediis ad salutem æternam conducentibus : cum autem in hoc præcipue exerceatur Jus reformandi, concluditur , Principes Catholicos jus istud primario non trahere ex Instrumento Pacis Westphalicæ ; sed ex isto contra Protestantes exigunt, jus sibi in negotio Religionis competens *impediri non oportere* 45.). Unde etiam quando aliqui concipiebant hanc constitutionem iis verbis, quæ indicarent, Jus reformandi competere *EX* Jure territorii, obsistebant Catholici ; & curarunt ut poneretur vox *CUM* Jure territorii, bene gnari, ex ejusmodi fonte hauriri non posse jus circa religionem. II. Modus utendi hoc jure reformandi determinatur *ex communi per totum Imperium hactenus* (a tempore Pacis Religionis ann. 1555. usque ad Pacem Westphalicam ann. 1648.) *usitata praxi.* Hæc praxis observata fuerat a Protestantibus Principi-

45.) Instr. Pac. Art. V. §. 30.

pibus, ut in ſuas ditiones inducerent exercitium religionis Lutheranæ vel Calvinianæ: unde ſi Catholici Principes in ſuas ditiones Lutheranas vel Calvinianas introducant exercitium Catholicum, ſtatuit Inſtrumentum Pacis, eos impediri non debere, modo in iis locis, in quibus Proteſtantes juxta obſervantiam anni 1624. tolerari debent, eorum exercitium non turbetur. Qui articulos Pacis Weſtphalicæ aliter explicant, ludere cum Principibus Catholicis videntur.

§. 198. III. Oppoſitiones Proteſtantium contra clarum Jus Principum Catholicorum initium ſumpſerunt in Palatinatu Rhenano; doctiores aliqui Proteſtantes obſervabant, ex paritate rationis etiam Proteſtantibus, ſi occaſio contingat, denegandam eſſe facultatem introducendi ſuum exercitium, quando forte Princeps Lutheranus ſuccedet Catholico, & acquirat ditiones Catholicas 46.). Hærebant aliqui, ignari qua ratione ſe expedirent: mox nonnulli animoſiores docebant, exercitium religionis Proteſtanticæ utpote ſumme pacificum

Frivolæ ſunt oppoſitiones quorundam:

46.) Vid. Lunig Script. Illuſtr. N. 21.

cificum, ex quo turbæ nullæ timeri possunt, libere invehi posse in locum Catholicum: at vero exercitium religionis Catholicæ, turbis excitandis aptissimum, non posse ita introduci in locum Lutheranum, ut quieta permaneat possessio exercitii Protestantici. Ineptias has optime perspiciebant omnes prudentiores Acatholici, cum fateri deberent, exercitium Protestanticum non posse invehi in locum Catholicum, nisi religio Catholica omnino in illo extingueretur, ad conservandam scilicet pacem & præcavendas turbas. Unde IV. Ut Doctores Protestantici eadem principia tenerent, Legati quidam in Comitiis Ratisbonensibus edi curarunt scriptum sub nomine *Ungrund des simultanei*, voluerunt que, ut Principes Acatholici hanc doctrinam in suis Universitatibus tradendam præciperent 47). Sed ipsi Principes Acatholici hæc principia omni fundamento carere, exemplo suo

47.) Hoc scriptum editum est separatim, sed etiam continetur apud SCHAUROTH Concluſ. Corpor. Evangel. tom. 3 fol. 594. seqq. item insertum est dem Kayserlichen Commissions-Decret de gravaminibus Religionis anno 1720.

ſuo docuerunt, dum Berolini, Hannoveræ & alibi Catholicum exercitium introduxerunt 48.), juxta quod exemplum etiam Comes de Wied, Acatholicæ Religioni addictus, optime judicavit ſibi jus eſſe permittendi, ut in ſuo territorio Acatholico ædificaretur domus & Eccleſia, ubi Patres Capuccini ſubditis Catholicis adminiſtrarent officia Divina ritu Catholico.

§. 199. V. Quamvis pro Simultaneo Catholicæ Religionis univerſim introducendo apertiſſime faveat Inſtrumentum Pacis & ratio 49.), ſtudioſe tamen mentionem non facimus de Simultaneo in idem templum recens introducendo, cum majus periculum ſit excitandi turbas: advertimus autem, Scriptores Acatholicos, ubi de Simultaneo loquuntur, mox delabi

ſſi Dicilius introducitur in idem templum.

48.) Vid. Neue Staats-Canzley p. 12. fol. 171. ſeq.

49.) Pro jure introducendi Simultaneum ſcribunt CHRISTIANUS RITTMEYER Vindiciæ Juris reformandi. Rev. D. BARTHEL Opuſc. 3. de Jure Reform. novo. Item in Differt. poſter. de libertate Exercitii Religionis c. 4. & 5. Cels. Princeps ad S. Emeram. JOANNES BAPTISTA in variis tractatibus.

delabi ad Simultaneum in eodem templo, cum verosimilius periculum turbandi cultum alterius religionis ibidem inveniant, quale non reperiunt in simultaneo ejusdem Civitatis vel Provinciæ. Nihilominus etiam in eodem templo quiete exercitium utriusque Religionis observari posse, experimur in Ducatu Solisbacensi, pluribusque aliis locis: modo non frivole exigantur aliqua ad exercitium religionis nequaquam pertinentia, prout Acatholici Ravensburgenses petierunt, ut Patres Carmelitæ, qui idem cum Lutheranis templum obtinent, remotis ferreis clathris restituant ligneos vermiculosos, quales ibi fuerant anno 1624. 50.): aut una pars non soli suo usui tribuat, quod utriusque partis usui commune est, prout ante paucos annos Trarbacenses Acatholici campanam refundi curarunt, cum inscriptione *Ecclesiæ Trarbacensis Evangelicæ usui dicata*, cum tamen Catholici non solum usum communem, sed etiam dominium campanæ

50.) Similes plures casus ex Schützio recenset Buckisch ad Instr. Pac. Art. V. observ. 90. Henniges Medit. ad eundem Art. V. §. 33. fol. 509.

panæ sibi vendicent 51.). Hæc dicta sufficiant de Jure Simultanei.

Circa educationem prolium moratur dubium,

§. 200. In illis Germaniæ nostræ Provinciis, in quibus vi Pacis Westphalicæ præter Sacra Catholica toleratur exercitium Religionis Lutheranæ, vel Calvinisticæ, frequentes occurrunt difficultates circa educationem prolium. Duas quæstiones attingimus. *Prima* est, an Sponsi diversæ Religionis possint matrimonio contrahendo præmittere pactum, vi cujus proles masculæ educetur in Religione patris, proles feminea in Religione matris? *Secunda* est, an liberi minorennes, & qua ætate, præsertim mortuis parentibus, mutare possint Religionem? Facilis esset solutio harum quæstionum, si ex principiis Catholicis responsio deducenda esset: sed ea sunt fata Germaniæ nostræ, ut sentiamus quidem & doceamus, quæ veritati Catholicæ sunt conformia; improbando tamen toleremus, quæ per Instrumentum Pacis Westphalicæ Protestantibus concessa sunt. In ipsa tamen Bavaria, ubi

51.) Cit. Staats-Canzley p. 12. c. 5. N. 8.

ubi scribimus, singulari Dei favore his difficultatibus non urgemur, cum alienum a Religione Catholica exercitium in hac Provincia non sustineatur: nihilominus in vicinia occurrunt frequentissime ejusmodi dubia, & ad Imperii Comitia perferuntur plaustra gravaminum Religionis, de quibus Auditoribus Academicis notitia instillari debet. Igitur

An permitti possit pactum

§. 201. Ad primam quæstionem, jam alibi 52.) notavi, vitiosum quidem esse pactum de prole in exercitio Acatholico educanda, matrimonium tamen tali pacto, seu modo adjecto non reddi irritum: quod magis confirmatur ex Constitutione Benedicti XIV 53.), qui varia quidem disponit de Hollandis conjugibus diversæ religionis; de valore tamen ejusmodi matrimoniorum non videtur dubitare ob educationem prolis in aliena Religione, sed tantum ob defectum proprii parochi contra Decretum Tridentinum Quamvis igitur ejusmodi pacta universim loquendo

52.) De Jur. Rer. Eccl. sect. 2. §. 358. not 33.

53.) Bullar. tom. 1. Const. 34.

do sint illicita, dubitatur tamen nonnunquam in casibus particularibus, an Principes, Episcopi aut Parochi tolerare vel dissimulare possint ejusmodi pacta matrimonio adjecta inter subditos suos diversæ religionis. Id certum est, in Provinciis mixtæ religionis vix impediri aut evitari posse matrimonia inter Catholicos & Acatholicos contrahenda. His autem matrimoniis permissis, certum pariter est, matrimonia Protestantium cum conditione de parte prolium catholice educanda mox in Consistoriis Lutheranorum non solum improbanda, sed etiam irrita declaranda esse, quamprimum Catholici tolerare noluerint matrimonia cum conditione alicujus prolis in Lutheranismo educandæ, juxta principium illud ex Pace Westphalica desumptum, ut quod uni parti justum est, id etiam alteri parti justum sit. Facile enim Protestantes irritant & annullant matrimonia, suis Ideis parum consentanea, quæ apud Catholicos solum prohibita censentur: nec curant mandata Principum Catholicorum, ubi inobedientiæ suæ colorem ex Instrumento

Pacis Weſtphalicæ mutuari poſſe exiſtimant.

De aliqua prole educanda in hæreſi?

§. 202. Unde nonnulli Theologi ſuper hac re conſulti exiſtimarunt, nihil quidem publice ſtatuendum ac præcipiendum ; ſed tamen ubi circumſtantiæ pro bono publico id ſuadere videntur, diſſimulari poſſe pactum de parte prolium in religione patris aut matris educanda, nec teneri Parochos Catholicos, in quorum præſentia tale matrimonium contrahitur, curioſe indagare in prævia pacta inter ejusmodi ſponſos inita. Infelicitas earum Provinciarum, quibus incumbit neceſſitas tolerandi mixtæ religionis exercitia, cogit etiam admittere triſtes ejusmodi ſequelas. Id tamen obſervari meretur, ſi pacta dotalia aliud non exigant, patrem Catholicum, utpote qui liberos habet in poteſtate ſua, non debere permittere, ut filiæ educentur in religione matris acatholicæ. Recentiſſimum habemus exemplum, ubi pater, cujus uxor Acatholica erudiri filias curavit juxta principia Acatholica, ægre obtinuit, ut haberetur Catholicus, & habilis ad officium, ad quod re-

requirebatur Professio Fidei Catholicæ.

§. 203. Altera quæstio, an & qua ætate minores mutare possint religionem, magnos frequenter excitat motus in Comitiis Imperii. Si quidem quæstionem hanc consideremus in thesi extra circumstantias casus particularis, decidi illa potest absque ullo partium studio, cum ejusmodi casus in quavis religione per Germaniam tolerata, facile contingere possit. Abstrahendo igitur a principiis cujusvis religionis, in hac re Catholicis, Lutheranis & Calvinistis æque communi, sana ratio & Instrumentum Pacis Westphalicæ præ oculis statuendum est, ne turbæ & bella excitentur. Quoties ejusmodi causa agitata fuit, quæstio inprimis movebatur, an in ordine ad permittendam mutationem religionis, certa quædam ætas, nempe annus decimus quartus pro anno discretionis figendus sit, in quo anno liberi capaces sint ad hanc vel aliam religionem amplectendam? Censeo, principiis Christianis & Pacis Osnabrugensis minime conforme fore, si a Statibus Imperii certus annus, nempe

Ut certa ætas ad professionem vel mutationem religionis

pe decimus quartus ætatis determinetur pro mutanda religione, vel manifestanda resolutione inhærendi deinceps certæ formulæ religionis. Fides enim est speciale donum Dei, de quo scriptum est: Spiritus, ubi vult, spirat. Hinc nulla ætas, modo adsit usus rationis, per secularem potestatem impediri potest a profitenda vera religione; opponi enim posset illud: obedire oportet Deo magis quam hominibus.

In Germania determinetur,

§. 204. Opponunt aliqui, non agi hoc loco de interna Fide, quæ haud dubie Magistratuum dispositioni non subjacet, sed solummodo ex Dei illustratione dependet: agi tantum de externa professione, quæ licet ex gravibus causis differatur, vel impediatur ad tempus, posse tamen interim lumen Divinæ gratiæ finem suum obtinere in corde. Hæc tamen ratiocinatio non videtur sufficere. Nam abstrahendo a principiis Christianis, præjudicium fieri non debet Imperii Principibus, etiam Acatholicis, qui tempore Pacis Westphalicæ libertatem religionis vehementissime urgebant. Facile isti percipiebant, internis operationibus in rebus

fidei

fidei vim inferri non posse : tot igitur machinis ad obtinendam religionis libertatem adhibitis plane aliud intendere non poterant , quam externam professionem & exercitium Divini cultus. Juxta principia autem Christiana , Divinus Servator noster in vita sua mortali, teneræ juventuti blanditus est , dixitque : Sinite parvulos venire ad me , talium est enim regnum cælorum. In primis etiam Ecclesiæ seculis , plurimos pueros , puellasque in tenera ætate ad liberam fidei professionem contra tyrannorum minas & cruciatus confortavit DEus : similiter hodie quoque Divina gratia multos in prima adhuc ætate ad agnitionem veritatis pertrahit.

§ 205. Igitur ut publica ejusdem fidei professio per legem Imperii impediatur, conforme non videtur neque Legi Divinæ, juxta quam corde creditur ad justitiam , ore autem confessio fit ad salutem : neque Instrumento Pacis Westphalicæ, ubi professio certæ religionis ad nullam ætatem restringitur. Quamvis enim Status Imperii circa contractus & alia negotia impuberum , potestatem & curam suam laudabiliter ostendant ; nihilominus

Non videtur consultum:

in rebus conſcientiæ, in quibus Deus immediatam jurisdictionem ſibi ipſi reſervat, non decet violentiam inferre, præſertim in Germania noſtra, ubi libertas Religionis non tantum ad internam fidem, ſed etiam ad publicum ejusdem exercitium adeo firmiter ſtabilita eſt, ut Statibus Imperii liberum eſſe non videatur, ſingulis ſeculis novum ſyſtema procudere. Facile enim ex contingentibus circumſtantiis in mentem cuiquam venire poſſet, ut non tantum anni pubertatis, ſed anni majorennitatis exſpectarentur: vel ut minoribus mutatio religionis abſque præſcitu & conſenſu Tutoris, aut Curatoris ad modum aliorum negotiorum prohiberetur: ab ejusmodi innovationibus autem ſapientiſſimi Principes haud dubie abhorrebunt.

Nec Deus præfigit tempus;

§. 206. Paritas duci poteſt a Sponſalibus impuberum, quæ juxta opinionem tam Catholicorum, quam Acatholicorum obligationem poſt ſe trahunt ad matrimonium, quamvis ab ejusmodi ſponſalibus poſt obtentos pubertatis annos ſponſi poſſint recedere. Cur non etiam poſt adeptum uſum rationis, exercitium re-

li-

ligionis eligi possit in nostra Germania, in qua illud per leges Imperii postea poterit iterum deseri. Objiciunt aliqui morem Romæ observatum, ubi certis temporibus Concio habetur, cui omnes Judæi interesse debent, exceptis illis, qui duodecimum ætatis annum nondum impleverunt: ex qua constitutione sequi videtur, quod infantes infra annum duodecimum etiam a Romano Pontifice nondum inveniantur habiles ad intelligenda & discernenda Fidei mysteria. Instantia hæc parum probat. Facile conceditur, quod ejusmodi impuberes vi coactiva compelli non possint ad suscipiendas informationes circa exercitium religionis, prout compelluntur reliqui Judæi Romæ & in quibusdam aliis civitatibus interesse certis Concionibus: verum nemo prohibebit ejusmodi pueros accedere instructiones, si sponte velint.

§. 207. Unde etiam apud nos si quis principia Religionis Catholicæ doceatur, & illa profiteri velit publice, non apparet, qua ratione impediri possit salva libertate religionis, quam libertatem Acatholici tempore Pacis Westphalicæ omnibus viribus

Nec Pax Westphalica impedit libertatem.

tuebantur: omnia enim fieri debent *violentia omni & via facti, ut alias, ita & hic inter utramque partem perpetuo prohibita* 54.). Libertate hac relicta, non respuent Acatholici Germaniæ mentem & sensum viri apud se æstimatissimi, scilicet HENNINGI BOEHMERI 55.), qui de liberis Judæorum ea statuit, quæ optime applicari possunt ad liberos Christianorum circa mutationem religionis. Verba ejus sunt: *Nec ex solis annis, sed ex aliis circumstantiis, quæ desiderium conversionis in parvulis genuerunt, judicandum esse arbitror, an serio voluntatem sese convertendi habeant. Id negotii dandum est Theologis discretis, ut intima cordium eorum perscrutentur, quo facto, gratia Divinæ, quæ in iis operatur, locus relinquendus est.* Hæc fusius extrahenda duxi ex responso ad Legatum Catholicum dato, quo tempore in Comitiis Ratisbonensibus causa hæc agitabatur, & variorum criminum postulabantur, qui quosdam liberos post mortem parentum Acatholicorum, Religionis Catholicæ principiis imbui curabant,

54.) Instr. Pac. Osnabrug. Art. V. §. 1.
55.) Jur. Eccl. Protest. lib. 3. tit. 33. §. 56.

curabant, unde merito inter causas criminales hæc recensenda duxi 56.). Summa ejus responsi contra leges, quas Acatholici ferendas judicabant, hæc erat: Cum ex una parte DEus nullum certum tempus destinaverit ad concedendum lumen Fidei; ex altera parte Instrumentum Pacis externo Religionis exercitio nullam certam ætatem præfixerit; hinc nec prodesse, nec decere creditur, ut ejusmodi leges his temporibus statuantur.

TITU-

56.) Circa hunc articulum acta sunt aliqua in Conventu Norimbergensi pro Executione Pacis Westphalicæ instituto, uti refert GOTHEFRID. DE MEJERN Act. Pac. Execut. tom. 2. lib. 13. §. 3. fol. 754. & §. 21. fol. 804. §. 27. fol. 812. ubi habetur responsum P. MARCELLI e Societate JEsu, & DILHERRI Lutherani, item lib. 14. §. 2. fol. 825. Acta in Comitiis Ratisbonensibus videri possunt apud SCHAUROTH in Conclus. Corp. Evangelic. ubi indagari possunt loca notata in Indice Verb. *Kinder*.

TITULUS XVII.
DE SIMONIA.

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 3. 4. 5. Clement. Tit. 1. Extrav. Tit. 1.

§. 208.

Simonia POst crimina, quæ Fidem Christianam & Catholicam violant, considerandæ sunt ea, quæ virtutem Religionis & Cultum Divinum concernunt. Ex his primum & deterrimum est *Simonia*, quæ communiter definitur *studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Non ii tantum Simoniaci sunt, qui voluntatem gerunt emendi aliquid mere spirituale, puta donum Spiritus Sancti, quod plerumque profanos animos parum allicit; verum etiam ii, qui rem suam temporalem pro aliquo spirituali, eo animo offerunt, ut illud spirituale convertant in suum temporale commodum.

Sensim irrepsit in Ecclesiam, §. 209. Nomen trahit a Simone Mago, qui potestatem conferendi Spiritum Sanctum pretio pecuniario malitiose emere ab Apostolis volebat

bat 57.), non propter ipsum Spiritum Sanctum, quem emi non posse bene noverat; sed *ut ex venditione signorum, quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur* 58.). Gravissima imprecatio S. Petri, qua Simonis perversitatem damnavit, videtur absterruisse fideles primorum seculorum ab hoc delicto. Quarto seculo Arianos eo infectos tradit S. ATHANASIUS 59.). Quinto demum seculo illud in Catholicam Ecclesiam irrepsisse, desumitur ex ISIDORO PELUSIOTA 60.), & ex Concilio Chalcedonensi 61.).

§. 210. Sequentibus temporibus, quo latius hoc malum serpebat, eo acrius varia Concilia & Romani Pontifices se opposuerunt, tanquam enormi

Acerrime impugnata a Gregorio VII.

57.) Act. VIII.
58.) C. 8. I. q. 3.
59.) Epist. ad Solitarios.
60.) Lib. 1. epist. 315. & lib. 3. epist. 394.
61.) Can. 2. quo antiquior Canon contra Simoniacos non extat; nam Canones Apostolorum, in quibus Canon 28. & 29. de hac re agit, ab ipsis Apostolis editos, vel a Clemente collectos non censemus.

mi blasphemiæ in Spiritum Sanctum 62.), adeo ut *ad hæresis Simoniacæ comparationem cetera crimina quasi pro nihilo reputarentur* 63.). Præ aliis constantissime se opposuit GREGORIUS VII. confirmatus haud dubie miro illo eventu, quando ipse adhuc Diaconus, HILDEBRANDUS nomine, Victoris II. in Gallia Legatus, variis Episcopis Simoniæ damnatis, unum præ ceteris pertinaciter crimen negantem jussit dicere, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, qui verbis prioribus integre prolatis, in enuntiando Spiritu Sancto hæsit, ita ut nullo conatu vel tunc, vel in reliquo vitæ spatio potuerit nominare Spiritum Sanctum, cujus dona impie vilipenderat 64.). Mirari igitur oportet hodiernam multorum cæcitatem & obstinationem, qui Rubricam de Simonia omnino e Corpore Juris delendam,

62.) Vid. CHRISTIAN. LUPUS tom. 4. Differt. 2. de Simon. crim. c. 5. seq.

63.) C. 32. de Simon.

64.) Ita narrat WILHELMUS MALMESBURIENSIS de Gestis Reg. Angl. lib. 3. fol. m. 61. qui id sibi fideliter relatum dicit ex ore Hugonis Abbatis Cluniacensis, qui illi Synodo & miraculo interfuit.

lendam, vel certe doctrinam hanc contraria consuetudine jam abrogatam esse clamant. Angustiæ hujus libelli non permittunt, ut fusius pro dignitate & necessitate de hoc pernicioso crimine scribamus. Allegabimus quosdam Autores, qui plena manu hæc tractent: nos summos tantum articulos delibabimus.

Ad Simoniam requiritur I. Merx spiritualis,

§. 211. Tria ad Crimen Simoniæ requiruntur, Merx spiritualis, Pretium temporale, & Conventio seu Pactum. Per Rem vel *Mercem spiritualem*, prout constituit materiam Simoniæ, intelligimus ea, quæ aliquo modo sunt supernaturalia, vel ad DEI honorem aut spiritualem animarum salutem ordinata. Talia intrinsece & formaliter sunt Gratia Divina, Dona Spiritus Sancti: alia sunt singulariter religioso cultu digna, uti sacræ Reliquiæ, Hostia consecrata: alia Divino cultui dicata, uti Missa, aliave quævis ceremonia ad colendum DEum instituta: alia sunt causa bonorum supernaturalium, uti Sacramenta, Jurisdictio Ecclesiastica, sacri Ordines: alia sunt effectus causæ spiritualis, uti functiones sacræ, baptizare, Officia Divina celebrare:

alia

alia fiunt spiritualia per annexionem, quæ quidem in se sunt temporalia, ordinantur tamen autoritate Ecclesiastica ad aliquid spirituale, uti vasa sacra, templa: vel sunt intrinsece conjuncta cum spiritualibus, uti omnis actio ad Sacrificium Missæ peragendum, ad Concionem sacram habendam necessaria: vel præsupponunt causam spiritualem, uti sunt Oblationes, Decimæ, Beneficia Ecclesiastica, quæ sunt jus percipiendi fructus temporales propter officium Spirituale: nam hanc connexionem publica autoritate factam non potest dissolvere quilibet privatus; id tamen fieri potest summa autoritate Ecclesiastica. Quando igitur pro pretio quæritur officium sacrum, id plerumque fit ex avaritia vel cupiditate lucri, ut scilicet obtineatur emolumentum temporale, nempe reditus beneficiales: ubi locum habet illud principium Juris Canonici: *Quisquis eorum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit* 65.).

§. 212.

65.) C. 7. seq. I. q. 3.

§. 212. Unde Simonia est, si quid temporale detur pro Præsentatione, Electione, Confirmatione, Institutione, Resignatione, aut alia actione, per quam paratur via ad rem spiritualem. Sic tanquam Simoniaca damnatur promotio ad Sacerdotium, obtenta per pecuniam, non Episcopo, sed cuidam Principum ejus datam 66.). Idem crimen commisisse censetur, qui pro obtinendo Subdiaconatu obtinet ab aliquo titulum, vel etiam subtitulum, & vicissim se obligat, quod nunquam velit sustentationem ab eo petere 67.). Si quid detur vel exigatur pro concedenda possessione Beneficii Ecclesiastici, quod aliunde jam est collatum, vix evitabitur Simonia, nisi forte id fieri dicatur ad redimendam injustam vexam, sicuti frequenter dari debent sportulæ pro obtinendis fructibus beneficii, vel pro taxa Cancellariæ in expediendis Literis Præsentationis, Institutionis, vel Confirmatio-

Cujus exempla dantur.

66.) C. 3. I. q. 5.
67.) C. 37. de Simon.

nis 68.). Res illæ, quæ de se sunt temporales, potestate tamen Ecclesiastica sacræ factæ nullas alias sacras efficiunt, qualia sunt Vasa sacra, sunt materia Simoniæ, quatenus in iis consideratur, quod sacrum est, scilicet Consecratio; juxta communiorem tamen opinionem non sunt materia Simoniæ, si solum spectetur illorum metallum, ratione cujus venduntur, permutantur, uti etiam Castrum, cui annectitur jus præsentandi, modo non augeatur pretium intuitu Consecrationis, & usus sacri. Propter speciales tamen prohibitiones sacrorum Canonum excipitur Oleum & Chrisma consecratum, juxta multos etiam ædificium Templi 69.).

§. 213.

68.) C. 36. de Simonia in fin. Decretalis hæc ab INNOCENTIO III. missa est in Angliam, & integra legi meretur inter Epistolas INNOCENTII lib. 2. ep. 104. juxta editionem BALUZII. labem illius seculi Simoniacam persequitur MATTH. PARIS ad ann. 1237.

69.) De Chrismate statuitur cit. C. 36. damnanturque illi, qui tali pretio aliud nomen imponebant, & aliud tempus destinabant, nominando denarios *Pensales*, quos antea vocaverant *Chrisc-*

§. 213. Ad Simoniam requiritur, ut pro Re sacra detur *Pretium temporale*, consistens vel in pecunia, vel in obsequio, vel in speciali favore, aut alia re pretio temporali æstimanda. Pretium hoc solet communiter explicari per munus a manu, munus ab obsequio, & munus a lingua. Hoc ultimum videtur a GREGORIO VII. acerrimo Simoniæ persecutore ita intelligi, ut promovendus ad Ecclesiasticam dignitatem, *neque per se, neque per submissam personam preces effundat* 70.). Potuit in Simoniaco illo seculo id exigere GREGORIUS ad firmandam libertatem electionis, & evitandam omnem ambitionem, ac Simoniam sub larva precum occultatam. Revera autem Preces ejusmodi non habent rationem pretii, neque a Sacris Canonibus improbantur, nisi sint preces armatæ, quæ vim libertati inferant. Sic S. GREGORIUS ad preces cujusdam Episcopi ordina- *II. Pretium temporale,*

males; nuncupando demum *consuetudinem mediæ quadragesimæ*, postquam solationem anticiparunt.

70.) Apud PETRUM DE MARCA in Dissert. de Primatib. fol. 43. col. 1.

vit Acolythum 71.): alteri sacrum Ordinem ad interceſſionem Abbatis contulit 72.). Similiter offerens sua bona Eccleſiæ, roganſque humiliter, ut in Canonicum admittatur, retentis bonis ſuis pro Præbenda, poteſt recipi *absque ſcrupulo Simoniacæ pravitatis* 73.). Imo juxta Apoſtolum, qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Ut igitur *munus a lingua* conſtituat pretium temporale, deberet ipſe Dignitatis Eccleſiaſticæ Candidatus promittere preces ſuas pro conferente interponendas forte apud Principem, ut hoc modo compenſet collationem rei ſacræ. Unde Sacri Canones 74.) per munus a lingua ſeu preces intelligunt *humanam gratiam* ſeu favorem, quem aliquis præſtando rem ſpiritualem, obtinere intendit: hic enim favor æquiparatur pecu-

71.) C. 121. I. q. 1.

72.) Ibid. C. 122. deſumpti ſunt hi Canones ex Epiſtol. S. Gregorii lib. 7. Indict. 1. epiſt. 2. & lib. 4. epiſt. 30.

73.) C. 34. de Simonia. ubi notam Reviſores Romani adjiciunt: *humiles preces a digno emiſſæ pro conſequendo beneficio non inducunt Simoniam.*

74.) C. 114. I. q. 1.

pecuniæ, & vocatur *nummus favoris* 75.). Si igitur Canonicus Electioni Episcopi præmittat juramentum, se non electurum eum, qui hanc dignitatem pro se quæsiverit *prece per se vel per alium interposita;* censetur tantum excludere eum, qui Episcopatum Simoniace quærit; Simonia autem non committitur, si quis humiliter aliquid spirituale petit, vel ad illud obtinendum precibus aliorum absque abusu secularis potestatis commendatur.

§. 214. Circa pretium notandum est, quod parvitas materiæ non excuset a Simoniæ crimine, cum hæc sit vilipensio doni Divini: imo multo gravius committitur peccatum, quo leviori pretio res spiritualis æstimatur. Sæpe tamen levitas pretii est indicium, quod pretium non sit datum in compensationem rei spiritualis, & proin quod omnino non sit commissa Simonia. Exemplum præbet ALEXANDER III. 76.) de Equo donato Legato Apostolico a Nobilissimo & divite Viro, ubi monet, in *Etiam modicum.*

75.) S. GREGORIUS Hom. 4. in Evang.
76.) In Cap. 18. de Simon.

dandis vel accipiendis muneribus triâ esse maxime attendenda, personæ scilicet dantis & accipientis qualitas, muneris quantitas, & donationis tempus. Si enim offerantur aliqua modici pretii, quæ voluntatem recipientis inclinare vel movere non debeant, Ecclesia interpretari non consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem.

III. Conventio. §.215. Data re spirituali & temporali, tanquam materia Simoniæ, pro forma demum requiritur *Conventio*, vel Pactum, ita ut pretium temporale detur aut promittatur *PRO* re spirituali ex obligatione per pactum inducta, sive sit pactum expressum, sive tacitum, quale datur, quando ex circumstantiis colligitur vel præsumitur animus dandi temporale *pro* spirituali, vel vicissim. Unde sub nomine emendi vel vendendi in definitione posito intelligitur omnis conventio, qua quis se, vel alium intendit obligare. Nec admitti potest lusus vocabulorum, quod temporale non detur tanquam pretium, sed tanquam motivum conferendi spirituale; si enim intercedit aliqua obligatio, erit Simonia: sola autem spes

spes obtinendi aliquid spirituale vel temporale, non constituit Simoniacum. Videtur tamen sufficere ficta promissio rei temporalis, si alter per illam movetur ad dandum spirituale.

Dantur tituli honesti aliquid accipiendi.

§. 216. Ex his infertur, Simoniam non esse, quando temporale non datur ex pacto in compensationem rei spiritualis, sed ex alio titulo. Talis titulus est I. Sustentatio Ministri Ecclesiæ. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus* 77.) ? De hac sustentatione licet paciscí, antequam suscipiatur munus administrandi functiones sacras. II. Titulus laboris extrinseci, seu obligationis aliunde non debitæ, & in gratiam alterius susceptæ. III. Titulus gratitudinis, ita tamen, ut se quis non obliget ad certum modum gratitudinis: nec anticipato exhibeat: nec Simoniacum animum palliet fucatis verbis *gratuitæ compensationis* 78.): In collatione Ordinum & concessione Literarum dimissorialium permissum olim erat, aliquid gratis accipere 79.): sed

77.) I. Corinth. 9. v. 11.
78.) Propos. damnata 45. Innoc. XI.
79.) C. 18. & 30. de Simon.

Concilium Tridentinum 80.) prohibet etiam ſponte oblatum accipere, uti etiam ratione examinis in concurſu 81.); proin per talem acceptationem committitur Simonia Juris Eccleſiaſtici, quo hæc acceptatio prohibetur, quia habet aliquam ſpeciem commutationis rei ſpiritualis cum temporali. IV. Titulus conſuetudinis, modo hæc non ſit irrationabilis, exigendo nimis importune anticipato, aut plus, quam Superiores Eccleſiaſtici permittant. Laudabilis enim conſuetudo, quæ circa benedictiones nubentium, & exequias mortuorum approbatur 82.), conſiſtit in hoc, quod admittantur oblationes, quæ ultro fiunt: *quædam enim tametſi honeſte accipiantur, inhoneſte tamen petuntur* 83.). Conſuetudo autem aliquid exigendi & extorquendi eſt corruptela 84.), & populo præbet ſcandalum 85.). V. Titulus redimen-

80.) Seſſ. 21. c. 1. de Reform.
81.) Seſſ. 24. c. 18. de Reform.
82.) C. 42. de Simon.
83.) L. 1. §. 5. ff. de extraord. cognit.
84.) C. 39. de Simon. Vid. Ivo Carnotens. epiſt. 94.
85.) S. Epiphanius contra hæreſes

dimendæ vexæ, dando temporale, ut alter ceſſet ponere impedimentum certe injuſtum; vel ut flectatur ejus prava voluntas negandi ſpirituale: verbo, ut tollatur injuria, ad quam ablationem aliquis habet jus, & cum qua non per ſe, ſed ſolum per accidens connectitur conſecutio rei ſpiritualis.

Sine his committitur Simonia Juris Divini, vel Eccleſiaſtici.

§. 217. Quando absque tali titulo obligatio inducitur dandi temporale pro ſpirituali, Simonia proprie eſt Juris Divini vel Naturalis: Deo enim injurioſum eſt, ſi res ſpiritualis & ſupernaturalis ordinis æquiparetur cum temporali, vel acquiratur ſolummodo ad quærendum commodum temporale. Sunt autem aliquæ conventiones præſertim circa Beneficia Eccleſiaſtica, vel etiam Officia ad rerum Eccleſiæ temporalium adminiſtrationem ordinata 86.), quas

n. 76. narrat, quod GEORGIUS Pſeudo-Epiſcopus Alexandrinus Lecticas excogitaverit, ad efferenda corpora defunctorum: a ſingulis autem ita elatis lucri aliquid ipſi accedebat: a populo autem per urbem raptus, occiſus & exuſtus eſt.

86.) Officia Eccleſiaſtica beneficiorum ju-

conventiones Ecclesia sub Simoniæ pœnis prohibet. Unde dicitur committi Simonia Ecclesiastica, etiamsi detur spirituale pro spirituali, vel spirituali annexum pro alia re spirituali annexa, aut temporale pro temporali aliter quam permittat Ecclesia 87.).

Singulariter damnatur Simonia confidentialis,

§ 218. Quando in definitione Simoniæ ponitur *studiosa voluntas*, non intelligitur sola interna voluntas absque ullo effectu externo; hæc enim soli DEO vindicanda relinquitur, sicut etiam consensus mere internus in alia peccata. Imo etiam quando animus Simoniacus transit quidem in actum externum, dando temporale vel spirituale, sed tamen nullo signo manifestatur prava intentio, quæ vocatur Simonia *mentalis*, in foro externo non attenditur. Quando intervenit conventio de dando spirituali

re censentur: unde in utrisque Simonia committitur. Conc. Carthag. Can. 2. Tale est officium Oeconomi, & Vicedomini, quo nomine denotatur Vicarius Episcopi in temporalibus. C. 38. de Simon.

87.) C. 5. & 7. de Rer. permut. C. 4. de Transact. c. 38. de Simon.

tuali pro temporali, vocatur Simonia *conventionalis*, antequam ex alterutra parte ſequatur executio : hac facta dicitur Simonia *Realis*, quam perſequuntur Sacri Canones. Singulariter autem damnatur Simonia *confidentialis*, quando quis alteri procurat vel reſignat Beneficium cum certa confidentia exterius manifeſtata, ut idem Beneficium poſt aliquod tempus certo cuidam alteri, vel priori reſignanti relinquatur aut reſignetur 88.). Certe frequentiſſima Simoniæ occaſio eſt in Reſignatione Beneficiorum. Si hæc fiat in favorem certæ perſonæ, non poteſt acceptari ab Epiſcopo ; ſi fiat cum reſervatione penſionis, aut alio onere temporali, jam alibi dictum eſt, quod Epiſcopus ex rationabili cauſa poſſit onerare Reſignatarium : per privatum autem pactum ſine autoritate Epiſcopi adjectum, committeretur Simonia. Poſſunt enim dari aliqua pacta per Prælatos Eccleſiæ inita de dando temporali & reddendo ſpirituali, uti con-

88.) Flaminius Parisius tractatum de Confidentiis Beneficialibus addidit ad opus ſuum de Reſignationibus.

contingit in erigendis Anniversariis, vel aliis piis fundationibus: ex sensu tamen fidelium & Ecclesiæ, temporale non datur tanquam pretium vel compensatio, sed tanquam stipendium vitæ, sub quo titulo potest etiam assignari aliqua pensio. Hac ratione observant Clerici monitum Christi, *gratis accepistis, gratis date*, & Laici satisfaciunt monito ejusdem Salvatoris nostri, *dignus est operarius cibo suo.*

Item pro ingressu in Religionem.

§. 219. Sicuti Sacri Canones solicite circa Beneficia Ecclesiastica omne privatorum pactum excludunt; ita etiam singulariter cavent, ne aliquid temporale, interveniente pacto, detur, accipiatur, promittatur, aut exigatur pro ingressu Religionis, sive ad Novitiatum, sive ad Professionem & emissionem votorum, cum uterque hic ingressus ordinetur ad finem supernaturalem & spiritualem 89). Si autem *paupertatis prætextu*, titulo sustentationis aliquid ex pacto detur, vel exigatur in Monasterio sufficientibus reditibus dotato, saltem

89.) C. 8. 19. 25. de Simon. Extravag. I. inter comm. eod.

saltem erit Simonia Juris Ecclesiastici 90.). Pro victu tamen & vestitu tempore Novitiatus licet aliquid accipere 91.): item titulo dotis juxta universalem consuetudinem, quam inter Moniales tolerari passim experimur 92.): insuper titulo legitimæ etiam in Monasteriis virorum 93.). Porro statuit Concilium Tridentinum 94.), ut *in Monasteriis tam virorum, quam mulierum is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari* 95.).

§. 220.

90.) C. 40. de Simon. Severior hæc doctrina Concilii Lateranens. mitigata dicitur quoad Moniales per Const. MARTINI V. ut asserit Glossa in Pragmat. tit. de Annatis. V. Pœnam. fol. 608.

91.) Conc. Trid. sess. 25. c. 16. de Regular.

92.) ASCANIUS TAMBUR. de Jure Abbatiss. disp. 5. q. 2. 3.

93.) LEO OSTIENSIS Chron. Cassin. lib. 1. c. 16. aliique passim notant, plurima bona perveniss ad Monasteria ex eo, quod cum filio vel filia parentes obtulerint aliqua prædia.

94.) Sess. 25. c. 3. de Regular.

95.) TAMBURINUS l. c. q. 1. monet, numerum Monialium non censeri auctum per susceptas Sorores, quas conversas vocant,

Pœnæ criminis Simoniæ

§. 220. Gravitati criminis Simoniæ respondent graves pœnæ Ecclesiasticæ. Simonia *Mentalis* non habet pœnas pro foro externo Ecclesiastico statutas: mere *Conventionalis* non punitur pœnis ordinariis; forsitan etiam mixta, quando ex una tantum parte aliquid est datum, excepta Simonia Confidentiali; posset tamen talis Conventio, vel executio unius partis puniri arbitrarie. Ordinarias autem pœnas ipso facto incurrit Simonia Realis commissa circa Collationem Ordinum, circa ingressum Religionis, & circa provisionem Beneficiorum Ecclesiasticorum; circa alias materias requiritur condemnatio Judicis.

Sunt graves.

§. 221. Quoad pœnas in Simoniace promotos latas, præter excommunicationem Summo Pontifici reservatam, ordinans simoniace suspenditur ab exercitio munerum Pontificalium: ordinatus vero ab Ordinibus aliis suscipiendis, & susceptorum exercitio. Olim adeo acriter quidam Episcopi exarsere in Simoniacos, ut ab Episcopis Simoniacis ordinatos denuo consecrarent, quod rejecit Petrus Da-

DAMIANI 96.). Pro ingreſſu Religionis per Profeſſionem completo, dans temporale, & admittens ad eam, incurrit excommunicationem, aut ſi ſit communitas, ſuſpenſionem ab officio, adminiſtratione Jurisdictionis & Eccleſiæ, ac executione Juris Capitularis; ſitque uterque infamis & irregularis, ſi crimen ſit notorium: debet etiam taliter profeſſus transferri in aliud Monaſterium arctius. Omnis Proviſio Simoniaca Beneficii Eccleſiaſtici ipſo jure eſt nulla; unde debet Beneficium dimitti & fructus reſtitui: proviſus fit inhabilis ad idem Beneficium de novo obtinendum, imo etiam ad alia. Si inſcio Proviſo commiſſa ſit Simonia, nulla pœna ab hoc incurritur, ſed tamen Proviſio eſt nulla: valida autem eſſet, ſi proviſus ſuſpicans, ab alio aliquid dandum pro ſua promotione, expreſſe fuiſſet proteſtatus, & contradixiſſet 97.); aut ſi Tertius malitioſe aliquid daret, ut hoc modo redderet Proviſionem invalidam, & inducere-

tur

96.) Opuſc. 6. ad HENRIC. Ravennat. ſeu libro, qui inſcribitur *gratiſſimus*.

97.) C. 33. de Simon.

tur inhabilitas ad hoc beneficium. Simonia *Confidentialis* etiam ex una ſolum parte completa, præter jam dictas pœnas punitur varie juxta Bullam *Romanum.* Pii IV. & Bullam *Intolerabilis.* Pii V.

Conventio eſt etiam invalida.

§. 222. Traditio Simoniaca rei ſpiritualis per ſe valet, donec per ſententiam privetur accipiens, exceptis officiis & Beneficiis Eccleſiaſticis, quorum collatio jure Eccleſiaſtico nulla eſt. Pretium autem temporale reſtitui debet jure naturali & ante omnem latam ſententiam, quando non tantum Simoniace, ſed etiam injuſte acceptum eſt, nullo ſcilicet commodo temporali in dantem proveniente: temporale datum pro obtinendo Beneficio, vel Officio Eccleſiaſtico ſine diminutione reſtitui debet, cum id ſine gravi ſalutis periculo retineri non poſſit. Cum autem dans pretium, per crimen ſuum ſe indignum reddat eodem pretio recuperando; ideo autoritate Judicis id poteſt applicari Eccleſiæ vel pauperibus. Ignorantia invincibilis pœnæ in Simoniacos ſtatutæ, poſſet quidem excuſare a Cenſuris, cum pro caſu ignorantiæ non videatur adeſſe con-

tuma-

tumacia; non tamen excusat ab aliis pœnis.

§. 223. Judex competens in delicto Simoniæ est solus Ecclesiasticus, etiamsi delinquens sit Laicus, & moveatur quæstio facti. Numeratur inter crimina excepta & pernicioſissima: unde quilibet admittitur ad accusandum 98.), sufficiunt probationes ex evidentibus signis 99.), & testes non omni exceptione majores, contra quos non aliæ admittuntur exceptiones, quam illæ, quæ *de malignitatis fomite* procedere videntur 100.), præsertim quando non agitur criminaliter, ut quis deponatur ab Ordine, sed civiliter, ut amoveatur ab administratione tanquam immeritus, & damnosus 1.). *Judex competens.*

§. 224. Ad materiam de Simonia referuntur, quæ in Sacris Canonibus dicuntur de Redemptione Altarium. Nam in Gallia quidam Simoniacæ pravitatis abusus inoleverat 2.), ut *De Redemptione Altarium.*

S Eccle-

98.) C. 7. de Simon.
99.) C. 6. eod.
100.) C. 31. eod.
1.) C. 32. eod.
2.) C. 4. I. q. 3.

Ecclesiæ vel Decimæ, quæ vulgari vocabulo apud eos Altaria nuncupantur, Monasteriis datæ, sæpius ab Episcopis, vel Monachis sub palliatâ avaritia venderentur, mortuis nimirum seu mutatis Clericis, quos *Personas* vocabant. Conqueritur de hac re Ivo Carnotensis 3.): nam instar beneficiorum temporalium seu feudorum, in quibus pro mutatione dominorum vel vasallorum redemptiones feudorum fiebant, similis etiam introducta est redemptio in Ecclesiis & Altaribus, ut scilicet mortuo Parocho, sive Beneficiato, novus successor dato pretio redimere deberet reditus beneficiales ab Episcopo, vel etiam a Laico 4.). Ex hac doctrina declaratur illa Constitutio 5.), qua jubentur Clerici mutuantes pecuniam laicis sub pignore, fructus rei pignoratæ in sortem imputare, nisi forte Ecclesiam de manu laici jure pignoris acceperint, & hoc modo eam redimere curaverint, ut ista ratione Ecclesia ab injusto possessore laico redima-

3.) Epistol. 12.
4.) De hoc abusu intelligitur C. 41. de Simon.
5.) Cap. 1. de Usur.

dimatur. In ejusmodi abusus invehitur JOANNES Salesberiensis 6.), quod scilicet aliqui in multis locis obtineant Altaria redimenda; festive de his dicit: *Nidificant in Provinciis singulis: vix quot nidos habeant, vel ipsi sciunt: tot enim conquirunt Altaria, ut quasi ritu Memphitico quotidianas hostias novis possint Altaribus immolare. Nolunt tamen Sacerdotio onerari, aut altario servire, qui de altario vivunt, ne dicam luxuriantur: sed personatus quosdam introduxerunt, quorum jure ad alium onera, ad alium referuntur emolumenta* 7.).

§. 225. Ad vitium Simoniæ reduci etiam potest vitium Ambitus in acquirendis Dignitatibus Ecclesiasticis, quia plerumque committitur Simonia ab Ambitiosis. Contra hos gravissimis verbis invehuntur Leges Civiles 8.), & Sacri Canones 9.), eosque muneribus sacris indignos pronuntiant. Ambitus est inordinata quæ- *De ambitu.*

6.) In Policratico de Nugis Curialium. lib. 7. c. 17.

7.) Plura videri possunt apud EM. GONZALEZ in C. 43. de Elect. & ad C. 1. de Capell. Monach.

8.) L. 31. C. de Episc. & Cler.

9.) C. 25. & 118. I. q. 1. C. 9. seqq. VIII. q. 1.

dam honoris & dignitatis appetitio. Unde hujus criminis reus dicitur is, qui licet indignus, inhiat dignitatibus, ut immerito præfulgeat honore; vel qui dignitates mediis illicitis procurat, electorum suffragia illecebris, pactionibus, pollicitationibus, minis aliisque malis artibus aucupari studet 10.). Si vero is, qui dignus est, pro gloria DEI, & utilitate subditorum promovenda, ad Episcopatum, aliamve dignitatem aspiret, mediisque licitis eam assequi studeat, se commendando Electoribus, eorumque suffragia officiose petendo, is nec crimen ambitus, nec pœnas a SS. Canonibus contra ambientes inflictas incurrit. Ea est passim in Germania consuetudo, ut qui Candidati pro futura electione ad dignitates proponuntur, ii a singulis Electoribus præsentibus voce, & absentibus per epistolam suffragia ipsorum expoſcant. Hoc officii genus adeo non tribuitur ambitionis vitio, ut e contrario illius prætermissio pro argumento superbiæ acciperetur. Concilium Tridentinum

10.) Gamarus inter Repetit. Jur. Can. tom. 6. p. 2. n. 100. seqq.

tinum 11.) ordinat, ut beneficia curam animarum habentia per concursum conferantur uni ex approbatis inter concurrentes. Hæc constitutio suo modo applicari etiam potest ad Episcopatum: hunc qui exoptat in eum tantum finem, ut ceteris honore præfulgeat, affluatque divitiis, hic sane ambitiosus est, & indignus Episcopatu, etiamsi multis DEI & naturæ donis videatur ornatus: nam *Principatus, quem ambitus occupavit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo: & difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio* 12.), præcipue, si requisitis dotibus non sit instructus. De tali homine multa facete scribit nominatus JOANNES SALESBERIENSIS 13.), & illius defectus ironice excusat alterius cujusdam exemplo, demum ad finem ait: *Ad omnia ineptus est: sed Samson mandibula asini Philistiim expugnavit: potens est & nunc DEUS de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* 14.).

11.) Sess. 24. de Reform. c. 18.
12.) C. 5. d. 61.
13.) Lib. 7. c. 19.
14.) De Electione Ambitiosi vid. C. 26.

Ne Prælati elocent vices suas pro pensione.

§. 226. Rubricæ de Simonia Jus Canonicum subjungit affinem Rubricam, ne Prælati vices suas, seu exercitium Jurisdictionis, aut administrationis pro annua pensione elocent. Contingere hoc posset, ubi tale exercitium fert pinguia emolumenta temporalia. forte ex dispensationibus, ex functionibus Vicarii Generalis, Decani &c. Si quis, cujus dignitati incorporata est Parochia, constituat ibi Vicarium, relictis eidem omnibus reditibus, & reservata sibi certa pensione annua, nequaquam in hoc casu committitur Simonia, cum fiat solummodo pactum de sustentatione congrua Vicario constituenda, quod duplici ratione fieri potest, scilicet vel relinquendo Vicario omnes reditus, sibique reservando certam eorum portionem; vel colligendo omnes fructus, & certa quantitate Vica-

& 46. de Elect. Abbas, Barbos. Gonzalez & alii interpretes ad eadem capitula. Suarez tom. 4. de Religione lib. 6. c. 7. præcipue Passerinus de Electione cap. 20. explicat textum citati Capituli 46. qua ratione electio cassata fuerit ob requisitum consensum eligendi post publicationem scrutinii. Adde eundem Passer. c. 5. q. 6.

Vicario constituenda pro sustentatione: uterque modus est honestus & licitus.

§. 227. Annectitur etiam Rubrica *de Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.* Cum in Concilio Lateranensi & Tridentino summopere commendetur munus docendi in Ecclesiis Cathedralibus, cavetur tamen simul, ne ii, qui habent autoritatem assumendi ejusmodi Doctores, lucrum ex concessa hac licentia quærant. Quamvis enim licentia docendi doctrinas etiam Theologicas in publicis scholis, nihil spiritualitatis in se habeat, & ideo nec Simoniæ sit periculum; nihilominus indecens est, pro licentia docendi aliquid exigere, cum idonei Doctores potius invitari, & præmiis honorari debeant. Si autem isti ex industria sua, vel auditorum liberalitate emolumentum capiant, gratulandum ipsis, *nec quod laboribus quæritur, interdicendum est* 15.). *Ut nihil detur pro licentia docendi.*

15.) L. 10. C. arbitr. tutel. Aliqua in hanc rem dicta sunt de Jur. rer. Eccles. sect. 1. tit. 10. de Academiis. §. 151. De tota materia Simoniæ consulatur Tiberius Decianus tract. Crim. lib. 5. c. 77. & seqq. Gibert. Jur. Can. tom.

TITULUS XVIII.
DE PERJURIO.

Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 24. In Sext. Tit. 11. In Clement. Tit. 9.

§. 228.

De Perjurio IN præcedenti opuſculo fuſe dictum eſt de Juramentis in genere, & in ſpecie Tit. XXVIII. & XXIX. Unde cognita jam eorum natura, breves eſſe poſſumus, loquendo de Perjurio, ejusque pœna. Perjurium eſt *doloſa juramenti violatio.* Non ſufficit quæcunque culpa; ſed requiritur dolus, ut quis ſcilicet ſcienter mendacium juramento firmet; absque diſcretione juramento aliquid promittat; aut juratam promiſſionem ſtudioſe non exequatur. Cum ad Juramentum invocatio Divini nominis requiratur, conſequens eſt, perjurum non dici, qui abſque Conteſtatione divini nominis perfidiam commit-

3. tract. de Benefic. Eccleſ. P. MELCHIOR FRIDERICH Quæſtiones Canon. de Simonia. CHRISTIAN. LUPUS tom. 4. Differt. 2. item de Simonia Monaſteriorum tom. II. JOANNES PONTAS Dictionar. Caſ. Conſc. tom. 3. Verb. *Simonia.*

mittit, qui falsum scienter affirmat, vel promissionem violat sub clausula, fide mea nobili, Sacerdotali &c.

§. 229. Apud Romanos olim Censorum de perjuriis notio fuit, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicabant 16.). Postea TIBERII tempore, impune crimen tulerunt perjuri. Nam cum Rubrius argueretur, violasse perjurio nomen AUGUSTI, disseruit in senatu TIBERIUS, *Jusjurandum perinde æstimandum, quam si Jovem fefellisset: Deorum injurias Diis curæ* 17.). Demum extra ordinem ea vindicare cœperunt; variorum dein Imperatorum Constitutionibus castigata. Dicit quidem Imperator ALEXANDER 18.): *Jurisjurandi contempta Religio satis Deum ultorem habet; periculum autem corporis, vel majestatis crimen secundum constituta divorum parentum meorum, etsi per principis venerationem quodam calore fuerit pejeratum, inferri non placet.* Per hæc verba non vult Imperator, ut perjuria maneant impunita ab humanis Judicibus, sed *Leges Romanæ:*

16.) CICERO lib. 3. de Offic.
17.) TACITUS lib. 1. Annal. n. 73.
18.) L. 2. C. de reb. cred.

solummodo vult, ut perjuria inconsulta & calore facta relinquantur ultioni Divinæ. Consonat Lex ejusdem ALEXANDRI 19.), ubi qui inconsulte per Principem juraverat, & Juramentum non impleverat, non censebatur majestatis reus.

Leges hodiernæ Juris Civilis,

§. 230. In quibusdam casibus leges Civiles certam pœnam constituunt perjuris, veluti venientibus contra jurata pacta aut transactiones libere initas: ejusmodi enim perjurus *non solum notetur infamia, verum etiam actione privatus, restituta pœna, quæ pactis probatur inserta, & rerum proprietate careat, & emolumento, quod ex pactione vel transactione illa fuerit consecutus* 20.). CAROLUS V. 21.) perjurum in causis civilibus ad restitutionem perjurio acquisitorum damnari, honoribus privari, & infamia notari; in causis criminalibus pœna Talionis puniri vult; nec derogat consuetudini amputandi duos digitos, quibus erectis jusjurandum fuit præstitum: in-

19.) L. 2. ad Leg. Jul. majest.
20.) L. 41. C. de transact. L. 17. C. de Dignit.
21.) Constit. Crimin. art. 107.

intelliguntur autem nomine digitorum, extremi eorum articuli.

Et Juris Ecclesiastici.

§. 231. Jus Pontificium Perjuros in foro pœnitentiali punit jejunio quadraginta dierum in pane & aqua 22.). In foro externo Clericus deponendus est ab Ordine & Beneficio 23.). Episcopus de perjurio gravius, quam alii, est puniendus 24.). Omnis Perjurus excluditur a testimonio dicendo, præsertim in criminalibus, etiamsi censeatur emendatus 25.), quia infamiam incurrit 26.). Qui alios ad falsa testimonia, vel perjuria attraxit, vel quacunque corruptione solicitavit, usque ad exitum vitæ non communicet

22.) C. 18. VI. q. 1.

23.) C. 12. dist. 81. An Clericus perjurus beneficio privandus sit, vel ipso jure privatus censeatur vid. Felin. in C. 2. de Rescript. & in C. querelam. 10. de jurejur. Abbas Panorm. in utrumque istud Capitulum. De aliis etiam pœnis Ecclesiasticis perjurio impositis, agit Suarez de Religione tom. 2. tract. 5. lib. 3. c. 20.

24.) C. 12. de Jurejur.

25.) C. 54. de Testib.

26.) C. 9. III. q. 5. C. 17. VI. q. 1.

cet 27.). Hæc & similia alia intelligenda sunt, si perjurium ordine judiciario comprobatum, aut notorium sit: extra notorietatem facti vel juris, non deberet, qui ejusmodi reatum contraxit, post peractam pœnitentiam in jam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri 28.). Varios casus, in quibus ille, qui contra juramentum videtur agere, reatum perjurii non contrahat, retulimus in priori opusculo de Jurejurando.

TITULUS XIX.

DE SACRILEGIIS.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. XVII.

§. 232.

Sacrilegium SACRILEGIUM ex primæva nominis sui etymologia significat furtum rei sacræ: extendi tamen solet hoc nomen ad significandam quamlibet injuriam aut violationem rei sacræ, ita ut omne peccatum contra religionem dici possit sacrilegium. Cum autem per rem sacram hoc loco non

27.) C. 7. XXII. q. 4.
28.) C. ult. de Tempor. ordinat.

non intelligatur ipse DEus, sed creaturæ publica autoritate ad DEI cultum destinatæ; hinc per sarilegium solemus intelligere crimen, quo ejusmodi creaturæ impie tractantur. Hæc sacrilegii qualitas potest afficere ferme omnia crimina, quando committuntur cum violatione Ecclesiarum aut rerum sacrárum. Duo exinde sequuntur effectus, primus quidem quod ejusmodi crimen, alias ad forum seculare pertinens, fiat fori mixti, ac etiam subjaceat cognitioni Judicis Ecclesiastici. Alter effectus est, quod crimen sacrilegio infectum majori pœnæ subjaceat. Patebit hoc ex iis, quæ de variis criminibus in subjunctis titulis dicentur. Hoc loco annotare lubet, quas notiones de sacrilegiis præbeant Leges Civiles & Canones: subjungemus pœnas in his statutas.

§. 233. Definitur sacrilegium *Violatio rei sacræ, ut sacra est*, scilicet quantum repugnat cultui Divino, ad quem res est destinata. Igitur committitur sacrilegium contra personam, contra locum, & contra alias res cultui Divino dicatas: adeoque est personale, locale, & reale. Sacrilegium *Personale;*

per-

personale est violatio personæ sacræ, id est, per sacros Ordines, vel per statum religiosum, ejusve aliquam participationem ad cultum Divinum dicatæ. Fit autem hæc violatio per violentam manuum injectionem contra privilegium Canonis 29.); pertrahendo personas Ecclesiasticas ad forum Judicii secularis; exigendo ab iisdem tributa; per luxuriam exercitam a persona vel cum persona sacra 30.).

Locale; §. 234. Sacrilegium *locale* est violatio loci sacri seu religiosi, exercendo actum in Ecclesia, quo ipsa polluitur 31.); utendo Ecclesia, ceu vulgari quodam loco ad actus profanos, præsertim in se peccaminosos, uti furtum, occisionem &c.; violando immunitatem loci sacri, per violentam effractionem aut spoliationem Ecclesiæ, item per violentam abstractionem personæ ex loco sacro, in quem tanquam in asylum confugit. Supra Tit. III.

§. 235.

29.) C. siquis suadente. XVII. q. 4.
30.) De sacrilego concubitu dicetur ad tit. de criminibus carnis.
31.) Vid. dicta de Jur. rer. Eccles. sect. I. tit. 3.

§. 225. Sacrilegium *reale* est violatio rei sacræ, distincta a personis & locis sacris : per abusum sacramentorum ; per profanationem vasorum sacrorum ; per inhonorationem sacrarum reliquiarum aut imaginum ; per abusum S. Scripturæ ad confirmandos errores, ad jocos, cantus lascivos ; per defraudationem decimarum. Quamvis sacrilegium potissimum fiat per actum positivum, & specificetur a materia, circa quam committitur, sæpe tamen est peccatum omissionis, uti sacrum fontem baptismalem non servando immunem a sordibus, sacra vasa non purgare, lavare &c. De his & similibus videantur Theologi Morales 32.). *Reale.*

§ 236. Ex his satis intelligimus, quid nomine sacrilegii, vel criminis sacrilegi, sacri Canones intelligant. Si aliorum jurium & populorum sensum de sacrilegio inquiramus, reperiemus inprimis apud antiquissimos autores latinos & græcos, nefandissimis quibusque sceleribus notam sacrilegii inustam esse, quem loquendi modum *Variæ nominis hujus acceptiones*

32.) In Jure Canonico de hac re tractatur ad C. 2. de Cust. Euchar.

modum etiam Sancti Patres non raro usurparunt 33.). Si specialiorem Sacrilegii acceptionem consideremus, prout illud in rebus sacris consistit, etiam hoc sensu non eadem apud omnes erit criminis istius indoles: cum enim res sacræ respectum ad religionem habeant, mirum non est, varias formari Sacrilegii Ideas inter illos, qui varia religione utuntur. Quod uni pium videtur, alteri sacrilegum est. Manendo intra limites Germaniæ nostræ, quamvis Protestantes dictamina Juris Canonici in Judicialibus frequenter amplectantur, in crimine tamen Sacrilegii multum discrepant: parum nostra refert, an illi suas Ecclesias, earumque ministros rebus sacris aut profanis annumerent, ac eorum violationem a sacrilegio absolvant: modo a calumniis abstineant, quando principia Catholicorum referunt. Nequis igitur,

33.) Cicero in Philipp. XII. cædem ab Antonio sibi metuens, ait: *nunquam profecto a me sacrilegas manus atque impias abstinebit.* Arnobius adversus Gentes lib. 4. m. fol. 140. sacrilegæ mentis esse dicit, insignibus maledictis cujuspiam famam carpere.

tur, legendo Tractatus Acatholicorum de Jure Criminali scribentium, oppositas doctrinas confundat, sciendum est, per sacrilegium proprie & stricte dictum apud illos intelligi *furtum rei sacræ*, ita ut furtum a sacrilegio tantum distinguant quoad materiam ablatam, & graviorem pœnam. Ex ipsorum igitur sententia Sacrilegium est *contrectatio fraudulosa rei sacræ lucri faciendi animo facta.*

Pœnæ antiquiores,

§. 237. In dubio autem, quænam res dicantur *sacræ*, non licet insistere textibus Legum Civilium, cum Romani Ethnici pro sacris habuerint, quæ inter Christianos hoc nomen non merentur. Id tamen notandum, istis Legibus distingui inter Sacra publica & privata: pro sacrilegis habent, *qui publica sacra compilaverunt: at qui privata sacra, vel ædiculas incustoditas tentaverunt, amplius quam fures, minus quam sacrilegi merentur* 34.): Sacrilegi autem Jure Digestorum *capite puniuntur* 35.). Jure Codicis Imperatores magis erant soliciti de sua

T Maje-

34.) L. 9. §. 1. ff. ad Leg. Jul. peculat.
35.) L. 9. princ. ibid.

Majestate, cujus violatio aut contemptus pro sacrilegio habebatur. Sic dicitur 36.) Sacrilegium committi ab his, qui temeraria usurpatione Principum statuta violare tentant: item qui in dubium revocant, an is dignus sit, quem Imperator ad dignitatem aliquam elegerit 37.). Quæ autem statuunt Imperatores pro conservanda propria Majestate, multo magis statuta volunt pro reverentia Divini Numinis. Hinc Sacrilegi dicuntur, *qui divinæ legis sanctitatem, aut nesciendo omittunt, aut negligendo violant* 38.): item qui confugientem ad sanctam Ecclesiam inde propria autoritate abstrahunt 39.).

§. 238.

36.) L. ult. C. de privileg. eor. qui in Sacro palat. milit.

37.) L. 3. C. de Crim. Sacrileg. Ne occasio fit sæpius incidendi in hanc speciem Sacrilegii, hinc qui assumuntur ad supremum Tribunal Cæsarei Consilii Aulici, debent se Examini subjicere, & Acta Causæ definitive concluſæ absque alterius opera referre. Vid. Ordinatio Consil. Aul. Cæsar. tit. 1. §. 3. in fin. quæ additio est nova.

38.) L. 1. C. de crim. sacrileg.

39.) L. 2. C. Ibid.

§ 238. Deveniendo ad recentiores Leges, Constitutio Criminalis CAROLI V. quæ hodie in Judiciis criminalibus secularibus præcipuam autoritatem habet, adhibet distinctionem furti ex Jure Canonico, scilicet quando aufertur res sacra ex loco sacro; vel res sacra ex loco non sacro; vel denique res non sacra ex loco sacro. De hac ultima specie Leges Civiles statuunt, res privatorum, si in ædem sacram depositæ, subreptæ fuerint, furti actionem, non sacrilegii esse: pro conciliandis Legibus dici potest, sacrilegii crimen tunc esse, quando ad aufferendam rem profanam janua templi, aut Sacristiæ violenter effringatur, vel mala arte & prohibitis instrumentis, aperiatur 40). Ejusmodi furtorum exempla varia referuntur in Legibus, addita determinatione pœnæ. Si quis furripit Hierothecam, cui consecrata hostia est inserta, pœna ignis in sacrilegum furem constituitur: qui alia vasa sacra, calices, patenas, reliquiarum capsas cum vel sine reliquiis aufert, pro qualitate rei vel vivus exuritur,

Et recentiores furti sacrilegi:

40.) Const. Crim. Carol. artt. 174.

vel furca ſuſpenditur, vel perpetuo exilio mulctatur. Qui ceram, mappas, eleemoſynas, & ſimilia ex templo ſine effractione aufert, puniendus eſt, ſicut fur rerum profanarum, ita tamen ut furta ex templo facta non tam facile clementiam ſeu mitigationem pœnæ impetrent, ac alia furta profana 41.). Imperatores Severus & Antoninus quemdam Clariſſimum Juvenem, cum inventus eſſet arculam in templum ponere; ibique hominem includere, qui poſt clauſum templum de arca exiret, & de templo multa ſubtraheret, & ſe in arculam referret, convictum in Inſulam deportaverunt 42.).

Et aliorum ſacrilegiorum.

§. 239. In Jure Decretalium Sacrilegium dicitur violatio rei ſacræ; publica autoritate ad Dei cultum deſtinatæ. Hæc ſacrilegii qualitas poteſt afficere varia crimina, quando committuntur cum violatione Eccleſiarum aut rerum ſacrarum. Unde redibit infra ſermo de ejusmodi criminibus. Bene obſervandus eſt textus 43.), ubi ſtatuitur, quod Eccleſiarum

41.) Ibid.
42.) L. 10. §. 1. ff. ad Leg. Jul. pecul.
43.) C. 8. de for. comp.

siarum Rectores *malefactores suos*, *qui sacrilegi sunt censendi*, possint, sub quo maluerint, Judice convenire; id est, quod crimina, quæ juxta dicta rationem sacrilegii induunt, sint mixti fori 44.). Tales malefactores *sacrilegi* censentur invasores rerum, quæ Ecclesiis pro remedio peccatorum collatæ sunt, vel relictæ, aut eis justo alio modo acquisitæ, quæ aliis usibus applicari valde iniquum est 45.). Communis sacrilegi pœna est, ut *sciat, se communione privatum* 46.), ita ut post trinam admonitionem, si legitime non satisfecerit, publice vitandus denuntietur 47.).

44.) Vid. Barbosa & Fermosin. ad dict. C. 8.

45.) C. 16. de for. comp.

46.) C. 21. XVII. q. 4.

47.) Impias quasdam profanationes sacrorum in templis Protestantium refert Leyserus Vol. 9. specim. 620. ex TheatroEuropæo tom. 12. ad ann. 1681. fol. 385. item ineptas rationes aufferendi Clericis bona superflua absque sacrilegio ex Friderico II. & Paulo Sarpio.

TITULUS XX.
DE BLASPHEMIIS.

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 26.

§. 240.

Blaſphemia eſt contumelia in DEum.

BLASPHEMIA, uſu jam recepto, ſumitur ad ſignificandam derogationem divini honoris ac bonitatis. Sic S. AUGUSTINUS 48.) dicit: eſt autem Blaſphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis, itaque jam vulgo Blaſphemia non accipitur, niſi mala verba de DEO dicere: quia de hominibus dubitari poteſt, DEus autem ſine controverſia bonus eſt. Definitur itaque Blaſphemia, quod ſit, *verbum maledictionis, convitii, ſeu contumeliæ in DEum.* Injuria verbalis erga hominem dicitur convitium; injuria in DEum dicitur blaſphemia. Eſt interna vel externa. Vox blaphemia derivatur quidem a græca voce φημι, dico, loquor; conſequenter proprie fit per verbum: nihilominus reales injuriæ DEO illatæ huc referuntur. Alia eſt immediate contra DEum, alia contra Sanctos, & maxime B. Virginem

48.) L. 2. de Morib. Manich. c. 11.

nem 49.), in quantum ſcilicet maledicentia in Sanctos redundat in DEum, quod fit etiam per injurias reales, qualis eſt contumelioſa imaginum ſacrarum, aut Chriſti cruci affixi tractatio; aut hoſtiæ conſecratæ: item per picturam aut ſculpturam contumelioſam. Huc revocantur execrationes per certa membra Chriſti, per ejus cruorem, crucem, Sacramenta, præſertim ſi adjicitur nomen DEI, aut declaratur contemptus myſteriorum Divinorum per ſcommata, aut contumelioſa verba. Verbales etiam injuriæ Sacerdoti factæ ad blaſphemias verbales referuntur, ſi contumelia inde in DEUM quodammodo redundat, ut ſi quis Sacerdotem ſacra tractantem, vel intuitu ſacri muneris laceſſat. Alia eſt Blaſphemia ſimplex, alia Hæreticalis, quando aliquid affirmatur de DEO, quod ipſi non convenit; vel negatur, quod ei competit. Alia eſt atrox, alia non atrox. Omnis quidem injuria in DEum eſt atrox, ſed tamen dantur gradus atrocitatis.

§. 241. Minuitur nonnunquam malitia blaſphemiæ ex ſuperſtitioſa pie- *Ejus varia ſpecimina.*

49.) C. 2. de Maledicis.

tate, nonnunquam ex simplicitate & rusticitate. Pietas inepta excusare potuit Gentiles, qui apud Lindum, Rhodi oppidum, Herculis sacra ex ipso Herculis jussu, celebrabant maledictis & execratione, eaque pro violatis habebant, si quando inter solennes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum 50.). Sunt nonnunquam aliquæ locutiones, quæ juxta proprium verborum sensum blasphemiam saperent; sed innocens earum usus est notus omnibus. Unde THEOPHILUS RAYNAUDUS 51.) forte non serio scrupulo sibi ducit, adire monasterium, ubi Moniales ascitis sibi nominibus appellantur *Barbe de la tres sainte Trinité*, *la Mere du S. Esprit*, *la Mere du Verbe Incarné*, *la Soeur du S. Esprit* &c. Licet enim talia nomina in lingua germanica & latina nihil absurdum sonent; gallice tamen expressa, qua lingua passim ejusmodi Moniales etiam in Germania utuntur, possent dare occasionem risus; in his autem mysteriis locus non debet

50.) Lactantius Divin. Instit. lib. 1. c. 21.

51.) Tom. 16. Heterocl. Spirit. sect. 5. punct. 2. fol. 498.

bet præberi jocis. Blasphemia est, si verba S. Scripturæ ad jocos scurriles applicentur. Si Mysteria Fidei aut Passionis Christi in Theatro exhibeantur, plerumque admiscentur aliqua blasphema animo non malo, aut saltem inseruntur fictiones, & alia tragœdiis propria, quod indecorum & contra Majestatem Mysterii esse censetur. Vix a blasphemia excusantur Adulatores, dum Principes suos æquiparant, aut præferunt DEO: minus excusantur multi hodierni Libertini (*Les Esprits forts*) qui dubia, jocos de veritate Religionis Christianæ, de autoritate S. Codicis, de officio Sacerdotum, suis quotidianis colloquiis inspergunt. Hæc etsi veræ blasphemiæ non sint, tamen extra ordinem puniuntur.

§. 242. Sicuti furta sacrilega gravius puniuntur, quam profana; ita injuriosa verba in DEum jacta, longe gravius sunt punienda, quam convitia contra homines, præsertim quia per ejusmodi impietatem provocatur ira DEI ad gravissima mala orbi immittenda, prout obsevat JUSTINIA- *Pœnæ Blasphemorum,*

NUS Imperator 52.), & MAXIMILIANUS Rex Romanorum 53.). Decernitur quidem ſupplicium mortis blaſphemantibus, ſed tamen mitigatur pœna, ſi prima vice, vel ex gravi ira fiat, modo ira non oriatur ex levi vel injuſta cauſa, forte ob pecuniam in luſu perditam. Plures Imperii Conſtitutiones colliguntur, & pœnæ aggravantur in Reformat. polit. Auguſtæ anno 1548. ubi ſingulariter agitur de blaſphemiis militum. Cenſent aliqui 54.), pœnam mortis hodie in deſuetudinem abiiſſe: ſed adhuc eam vigere oculatus teſtis ſum; requiritur tamen ad hoc ſupplicium Blaſphemia atrox, quæ talis ſit κατ' ἐξοχήν, juxta arbitrium Judicis, quod arbitrium etiam ad pœnam mortis in hac cauſa ob aggravantes circumſtantias ſe poteſt extendere. Juxta Codicem Criminalem Bavariæ 55.) ad pœnam

52.) Novell. 77. c. 1.

53.) In Legibus Imperii Wormatiæ poſtis anno 1495. art. 10.

54.) Vid. MENOCH. de arbitr. Jud. Caſ. 375. ſeq. TIBER. DECIANUS tract. crim. lib. 6. c. 6. Uterque varia ex Jure Civili & Canonico de Blaſphemiis colligit.

55.) Part. 1. c. 7.

pœnam mortis devenitur, ſi quis poſt duas correctiones ſe non emendet, proin incorrigibilem exhibeat : prima mox vice pœna gladii dictatur, ſi quis imaginibus DEI & Sanctorum, vel etiam Sacerdoti in adminiſtratione Sacramentorum magnam contumeliam infert ; imo pœna ignis ſtatuitur, ſi quis ſimilia perpetrat contra conſecratam hoſtiam. Juxta Jus Canonicum, præter alias antiquiores pœnas 56.), hodie præcipuam autoritatem habet Conſtitutio GREGORII IX. 57.), ut Blaſphemus in ſeptem diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ in manifeſto, dum aguntur Miſſarum ſolennia, exiſtens, ultimo illorum die Dominico pallium & calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, ſeptemque præcedentibus ſexti feriis in pane & aqua jejunet, Eccleſiam nullatenus ingreſſurus &c.

§ 243. Id bene notandum, quod in his Conſtitutionibus Juris Civilis & Canonici, etiam graviter puniri jubeantur illi, qui ejusmodi blaſphemias

Et eorum, qui ſe reddunt participes.

56.) In C. 10. XXII. q. 1. & inter Canones Pœnitentiales.

57.) C. 2. de Maledicis.

phemias vel viderunt, vel audierunt, & tamen ad Judicem non detulerunt; is ipse Judex autem se criminis & pœnæ participem reddit, qui delicta hæc ad se delata non punit, sed potius dissimulatione sua fovet, præsertim ex inepto illo principio: *Ubi non est accusator, ibi non est Judex*, cum tamen in publica platea fors ipse talia frequenter audiverit. Sic gravem reprehensionem commeritus est Magistratus, qui hominem mentis impotem non coercuit, cum sæpius per publicas vias blasphema dicteria magnis clamoribus effutiret: existimatum enim, venenatas aquas ab urbe averti debere, per quoscunque canales illæ auribus juventutis se insinuarent.

TITULUS XXI.
DE SORTILEGIIS.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 21.

Agitur hoc loco de Sortibus divinatoriis.

§. 244.

PER Sortem intelligitur signum eo fine assumptum, ut ex ejus eventu aliquid occultum innotescat. In Jure Canonico Sortilegia opponuntur geminæ virtuti, cum Justitiæ propter

pter falsitatem & deceptionem, quam continent; tum Religioni propter abusum rerum sacrarum, aut adhibitam operam dæmonis. Non agitur hoc loco de Sortibus licitis, quales sunt Divisoriæ ad lites dirimendas, vel dividendam hæreditatem: sed præcipue de Divinatoriis, quibus exquiritur notitia arcanorum, absentium, futurorum, præteritorum per media improportionata. Ad quam materiam in latiori acceptione refertur omnis superstitio, ac etiam Magia, quæ mira præstat ope dæmonis.

§. 245. In dubium a quibusdam vocatur, an in Novo Testamento detur Magia, quam Christi morte sublatam & abolitam existimant 58.). Hanc obolitionem desumunt ex Sacris Literis, juxta quas Dæmon ligatus & conclusus est in abysso, ut non seducat amplius gentes 59.): & laudatur Christus, qui *exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso* 60.): *cum*

Magiam in novo Testamento dari, negant alii: qui

58.) Editi de hac materia sunt varii libelli: *Arte Magica dileguata. Arte Magica distrutta. Ars Magica adserta.*

59.) Apocal. XX. 2.

60.) Ad Coloss. II. 15.

cum tradiderit regnum DEO & Patri, cum evacuaverit omnem principatum & potestatem & virtutem 61.). Unde SS. Patres tradunt, omnem Magiam per Christum in nihilum reductam &c. omnia esse subjecta Christo. Accedunt Sacri Canones 62.), qui docent, quæ Magorum præstigiis fiunt, esse meras illusiones & phantasmata: habemus enim ab experientia, plerumque intercedere fraudes histrionum & circulatorum, aut etiam ignorantiam occultarum virtutum. Insuper videtur dedecere Divinam Sapientiam, ut muliercularum, & flagitiosorum hominum libidini corpora & fortunas aliorum permittat.

Affirmant alii

§. 246. His argumentis alii parum moventur; nam pleraque retorquentur in potestatem obsidendi corpora fidelium, & pelliciendi animos ad malum, quæ potestas Dæmoni per mortem Christi non omnino erepta est. Imminuit Christus tyrannidem dæmonis, præbuitque media eam evadendi. Hic semper fuit sensus Ecclesiæ, quæ preces fundit contra artes

61.) I. Corinth. XV. 24.
62.) C. 12. & 14. XXVI. q. 5.

artes diabolicas, præbet aquam benedictam, bullas cereas &c. Episcopi reservant sibi peccatum Magiæ, Principes gravissimis pœnis illud coercent. Si omnia, quæ vulgo Magiæ adscribuntur, fiant per deceptiones sensuum & illusiones phantasiæ; hæc ipsa contingunt per dæmones: cur non etiam vere fieri possunt opera dæmonis per Magum?

§. 247. Credunt aliqui, superbiam dæmonis vix permittere, ut se voluntati & imperio mulierculæ submittat, & ad ipsius voluntatem semper præsto sit. Verum cum superbia dæmonem incitet ad cultum, qui DEO soli debetur, sibi procurandum, simulque summum illius sit studium nocendi hominibus; ideo ad hos fines certius obtinendos ad vilissima quæque se demittit. Magiam morte Christi non omnino fuisse abolitam, ostendit exemplum Simonis Magi & Elymæ 63.): futuros etiam esse Magos Christus prædicit, qui *dabunt signa magna & prodigia* 64.). Sacræ Literæ, quæ dæmonem catena vinctum dicunt,

Argumento ducto ex S. Scriptura,

63.) Act. c. 8. & 13.
64.) Matth. XXIV. 24.

dicunt, loquuntur ad literam de persecutionibus universam Ecclesiam exagitantibus, & post tria secula sopitis, donec ad finem mundi resuscitentur. Prædicatur triumphus Christi de regno Satanæ debellato, qui potiebatur imperio mortis temporariæ per peccatum invectæ, ut per eam nos ad æternam mortem pertraheret: Christus autem hoc imperio dæmonem spoliavit, ut in ea morte non maneamus. Plenissimum autem effectum Mors Christi habebit post futuram Resurrectionem, cum evacuaverit omnem Principatum &c.

Ex SS. Patribus.

§. 248. Ex SS. Patribus aliqui loquuntur de Magia destructa per Nativitatem Christi, qnando tres Magi stella duce ad Christum adorandum pervenerunt, qui haud dubie omnem Magiam damnarunt. Alii loquuntur de secundo Adventu Christi, post quem omnia erunt subjecta Christo; nam sicut Idololatria, ita etiam Magia post primum ejus adventum non penitus fuit extincta: nec Oracula statim omnia cessarunt per totum orbem. Imminuta vehementer est potestas dæmonis, & dantur nobis efficacissima media eam vincendi:

Non

Non permittit Christus, ut Magi aut Dæmones pro suo lubitu vim exerceant in nostram perniciem, sed isti tantum possunt, quantum DEus finit ad puniendos malos, vel ad probandos bonos, uti apparet ex historia Jobi. Autoritas S. Hieronymi non probat, extinctam esse omnem Magiam; nam is ipse in Vitis Patrum multa recenset exempla maleficii diabolici dissoluti: si dicatur deceptus falsis narratiunculis, saltem infertur, eum censuisse dari Magos. Omnes admittunt, fidem non esse adhibendam omnibus historiolis, aut etiam assertionibus eorum, qui Magiam profitentur: omnibus tamen fidem denegare, prudentis non esse censent. De quodam Theologo & præstanti Concionatore Diœcesis Ebroicensis narratur, quod demum se dæmoni mancipaverit: inter articulos hujus fœderis erat, ut iste in suis Concionibus acriter defenderet, nullos dari Magos. Nam, ajebat dæmon, hac potissimum ratione stabiliendum esse suum Regnum 65.).

65.) Henric. Maria Boudon in vita P. Seürin part. 3. c. 4. f. 313.
De Judic. Crim.

A propria experientia

§ 249. Hæc in utramque partem referre visum est: me tamen non immitto in hanc controversiam decidendam. Id solum addo, me propriis oculis & sensibus ea percepisse, quæ ex aliorum relatione difficulter credidissem, sive ea vere facta sint, sive sensus mei delusi, certe non alia, nisi dæmonis opera contingere poterant. Hoc loco breviter trado, quæ ad præsentem Rubricam pertinere videntur. Si nullæ artes diabolicæ interveniant, gratulor Ecclesiæ Christi: si artes illæ per virtutem Passionis Dominicæ enerventur, gaudeo de Gloria Christi.

Variæ Divinationis species,

§. 250. Loquendo inprimis de Sortibus Divinatoriis, primum Divinationis genus passim dicitur quod fit per manifestam dæmonum invocationem, quod pertinet ad *Necromanticos* & *Pythones*, qui responsa accipiunt a dæmone, forma & corpore cujusdam mortui induto. Secundum genus fit per solam considerationem dispositionis, vel motus alterius rei, quod pertinet ad *Augures*, qui ex avium volatu, garritu, aut aliis vanis observationibus; ad *Aruspices*, qui inspiciendo exta animalium; ad *Chiromantas*,

mantas, qui considerando lineamenta manuum; ad *Genethliacos*, qui ex horoscopo nativitatis; ad *Astrologos*, Judiciarios, qui ex Astrorum observatione divinant occulta, vel futura. Tertium genus est, quando facimus aliquid in eum finem, ut nobis aliquid occultum manifestetur: sic feminæ quædam indagant, quem virum sint obtenturæ. Huc referri potest ars inveniendi thesauros. Hoc secundum & tertium Divinationis genus, vel fit prorsus per meram deceptionem, vel per tacitam dæmonis invocationem.

§. 251. Præter Sortes divinatorias intelliguntur hoc loco *Maleficia*, sci-licet ad inferendos morbos hominum aut brutorum, aut alias calamitates, vel etiam ad eadem removenda ope dæmonis. Huc pertinent Sortes *Amatoriæ* ad inflammandum amorem libidinosum: Poculum *Abortionis* vel Sterilitatis. Eo flagitiosius hæc fiunt, quo sacratiora adhibentur instrumenta, vel ad homines facilius decipiendos, vel ad cultum veri DEI polluendum. *Et Male-ficia.*

§. 252. Divinationes ad detegenda occulta vel futura, varias semper in- *Divina-tiones ex*

sacris & aliis libris;

venit curiositas hominum. Ex libris fortuito apertis instrui se credebant veteres. De Sortibus Virgilianis loquitur ÆLIUS SPARTIANUS in Adriano Cæsare, & ÆLIUS LAMPRIDIUS in Alexandro Severo. Frequenter recurrebatur ad versus Sybillarum, quos propterea comburi jussit HONORIUS Imperator 66.). Christiani consulebant libros sacros, vocabantque *Sortes Sanctorum.* Unde juxta SS. Canones 67.) *Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis, per quasdam, quas Sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque Scripturarum inspectione, futura promittunt;* Hi vero, ait S. AUGUSTINUS 68.), *qui de paginis Evangelicis sortes legunt, etsi optandum est, ut hoc potius faciant, quam ad dæmonia consulenda concurrant: tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia, & ad vitæ hujus vanitatem, propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere;* præsertim

66.) De ejusmodi Sortibus loquitur S. AUGUSTINUS Confess. lib. 4. c. 3. item QQ. 83. quæst. 45.

67.) C. un. XXVI. q. 1.

68.) Epist. 119. nunc 55. c. 20.

tim si ad indagandum eventum pravi consilii id contingat. Sic narrante GREGORIO Turonensi 69.), Clerici volente Chramno filio Chlotarii, libros Prophetiæ, Apostoli & Evangeliorum altari imposuerunt, pro divinando ex iis fortuito apertis successu rebellionis contra Patrem. Meroveus etiam 70.) librum Psalterii, Regum & Evangeliorum super Sepulchrum S Martini posuit, totaque nocte vigilans petiit ut sibi Beatus Confessor, quid eveniret, ostenderet &c. In utroque casu parum favorabilia responsa reperta sunt, quæ tristis eventus confirmavit. Merito igitur hic abusus prohibitus fuit, *ut nullus in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortire præsumat, nec divinationes aliquas observare* 71.). Scimus tamen, ex fortuita lectione Sacri Codicis, aut libelli de Imitatione Christi sæpe hauriri optimos effectus, prout expertus est S. AUGUSTINUS ex lectione Epistolarum S. Pauli.

69.) Histor. Franc. lib. 4. c. 16.
70.) Ibid. lib. 5. c. 14.
71.) Capitulare III. ann. 789. c. 4.

Aut per diversos modos periculosos.

§ 253. Magis periculosæ sunt aliæ viæ indagandi occulta. Ad reperiendum furem diversi adhuc hodie adhibentur modi: solicitus deberet esse Magistratus, ut ejusmodi artes superstitiosæ, vel deceptoriæ passim notæ, exterminentur, cum experientia doceat, præter gravissimum contra Religionem peccatum, exinde oriri detractiones, inimicitias, alia-que mala maxima. Quomodo per sortes reperiatur reus homicidii in turba facti, declarant superstitiosæ Leges Frisionum 72). An tutior sit modus reperiendi homicidam per virgulam divinatoriam, judicent alii 73.). Alios quosdam effectus hujus virgulæ nolo negare: expertus tamen sum *infelices manus* meas, prout vocat Basilius Valentinus, in quibus manet hæc virga immobilis ad præsentiam cujuscunque metalli, vel aquæ. Dictum mihi est, vel temperamentum meum non esse aptum ad hos effectus, vel virgulam non esse cæsam sub facie cæli eisdem respondente:

72.) Tit. 14. m. f. 422.

73.) Historiam narrat M. De Vallemont Traite de la Baguette Divinatoire c. 2.

dente : id scio , temperamentum meum non esse aptum ad superstitiones. Vanitas hujus virgulæ magis patet, quando adhibetur ad detegenda maleficia in ædibus vel stabulis defossa.

Superstitiones variæ olim usitatæ

§. 254. Post Divinationes mentionem merentur Superstitiones , quæ censentur operari ex pacto tacito cum dæmone , scilicet si quis utitur certis rebus, quæ nec naturalem , nec supernaturalem habent virtutem producendi effectum speratum, nec ex institutione Divina , nec ex institutione Ecclesiæ, vel si causis naturalibus adjungantur characteres , vel figuræ , quæ non ad alios referuntur, nisi ad dæmones secreti talis conscios: si causæ naturales adhibentur ad producendos effectus supernaturales , E. G. ad cognoscenda secreta cordium , ad morbos in instanti curandos : si adhibeantur verba ignota, de quorum virtute nihil constat: si usurpentur verba S. Scripturæ ad producendos effectus vanos E. G. ut moveatur anulus vel cribrum , quin attingantur : si verba , quæ pronuntiantur ad obtinendum aliquem effectum , continent aliquam falsitatem

E. G. quod Christus laboraverit febri: si verba, quæ deberent reddere sanitatem, vel mitigare dolores capitis, dentium &c dirigantur ad Lunam, vel alias creaturas inanimatas: si immiscentur historiæ apocryphæ: si effectus superat virtutem medii ad illum producendum adhibiti 74): si cum certitudine promittitur, recitatis certis precibus, vel adhibitis signis exterioribus, non esse aliquem vulnerandum illo die, non delapsurum ex equo, non futurum in purgatorio nisi ad certum tempus, visurum in morte B. Virginem: si cultus redditur DEO indebito modo, adhibita aliqua falsitate E. G. publicando falsa miracula, falsas revelationes, falsas

74.) Tales censentur figuræ Talismanicæ quibusdam metallis sub certo siderum aspectu inscriptæ, de quibus GAFFARELLI Curiosit. inaudit. C. 6. & 7. An literis, notis & numeris arcana aliqua insit vis, disquirit HERMANNUS HUGO de prima scribendi origine. c. 29. Varias figuras gemmis & anulis sub certo Zodiaci signo insculptas magna virtute pollere credebant olim, & forte etiam hodie, ut notat ABRAHAMUS GORLÆUS in Præloq. ad Dactyliothecam fol. 14. seq.

falsas Reliquias 75.). CONSTANTINUS M. 76.) videtur permittere superstitiosas artes ad bonum finem. Sed LEO Imperator 77.) has etiam incantationes damnat, quibus segetes & fructus curantur, aliaque bona, ut quidem videtur, suppeditantur: *Nos istiusmodi incantationes perniciosas esse persuasum habemus: & ut boni quicquam inde manare credamus, induci non possumus &c.*

§. 255 Bene advertitur, varios effectus hodie deprehendi superstitiosos, qui olim credebantur fieri, vel ex singulari dispositione Divina, quales fuerunt Purgationes vulgares per duellum, ferrum candens &c. vel ex secretis causis naturalibus, qualis est pulsus anuli ad vitri latera respondens horæ diei: quæ enim naturalis causa assignari potest, ut numerus *Hodie reprobantur:*

75.) Cum fraudes Arianorum passim notæ fuerint, hinc Synodus Cæsaraugustana II. Can. 2. anno 592. *statuit, ut Reliquiæ, in quibuscunque locis de Ariana hæresi inventæ fuerint, prolatæ a Sacerdotibus, in quorum Ecclesiis reperiuntur, Pontificibus præsentatæ igne probentur.*

76.) L. eorum 4. C. de Maleficis.

77.) Nov. Const. 65.

pulſuum in Italia reſpondeat horologiis ejusdem Provinciæ; in Germania autem horologiis hujus regionis? Econtra multi effectus, qui poſſunt eſſe naturales, producuntur ſuperſtitioſe, ſi adjungantur variæ ceremoniæ, vel obſerventur inutiles circumſtantiæ, quod ſolet contingere, quando morbi implantantur arboribus. Eadem enim cauſa phyſica & materialis ſemper producit eundem effectum in iisdem circumſtantiis phyſicis: his autem mutatis mutatur effectus: unde ſi variæ adhibentur circumſtantiæ, obſervationes, ceremoniæ tanquam neceſſariæ, & tamen deberet idem ſemper prodire effectus; ſignum eſt, hunc effectum non eſſe naturalem, & conſequenter ſuperſtitioſum, niſi ex inſtitutione Divina, vel precibus Eccleſiæ accedat virtus ſupernaturalis.

Sæpe accedit abuſus rerum ſacrarum.

§. 256 Ad ſuperſtitionem etiam accedit, ſi ex ſimplicitate & bono animo res ſupernaturales adhibeantur ad effectus profanos, vel ad tales, ad quos res ejusmodi non ſunt inſtitutæ. Sic S. AUGUSTINUS 78.) refert, quod

78.) Lib. 3. Oper. imperf. contra Julian.

quod devota femina ex Eucharistia fecerit cataplasma applicandum suo filio cæco. Ad ALEXANDRUM III. Pontificem relatum fuit, quod mulier cupiens ampliorem viri sui amorem conciliare, susceptο corpore Christi, & in ore retento, eidem viro suo, antequam Eucharistiam deglutiret, osculum porrexerit: sed in pœnam irreverentiæ trajicere postea sacram hostiam non potuit, quæ in carnem versa, dentibus molaribus adhæsit, & supercrescente alia carne adhuc erat in ore, quando hæc ad Alexandrum scripta fuerunt 79.). Viderint Viri docti, quomodo a superstitione vindicent ritus quosdam ab Ethnicis ad nostra usque tempora propagatos, quando appenduntur infantibus variæ figuræ contra fascinum; quando circa festum S. Joannis Baptistæ passim homines inter varia lætitiæ signa transiliunt per ignem 80). Similiter super-

---

c. 162. Alia de hac re dicta sunt de Jur. Rer. Eccl. sect. 2. §. 229.

79.) Vid. Append. ad Conc. Later III. apud HARDUIN. Concil. tom. 6. p. 2. col. 1863.

80.) De hoc ritu loquitur J C. PAULUS L. 45 §. 3. ff. Ad Leg. Aquil. *Cum sramenta ardentia transilirent, duo concur-*

superstitionem spirant sententiæ judiciales & excommunicationes latæ contra vermes, aliaque animalcula agros vastantia 81.).

Maleficia vere dantur, & sæpe fingunturs.

§. 257. Sub nomine Sortilegii passim intelliguntur etiam *Maleficia*, seu artes nocendi aliis opera dæmonis. Si juxta dicta ad initium hujus tituli, supponatur, dari veros Magos, curandum tamen est, ut bene dignoscatur inter Magiam Naturalem, Artificialem, & Diabolicam. De prioribus consulantur Philosophi & Mechanici. Diabolica operatur mira per operam dæmonis vel explicite vel implicite invocati. Si tendat ad damnum inferendum, vocatur *Maleficium*. Gravissimum istud crimen est, & frequenter involvit hæresin, imo Apostasiam a fide. Nec consultum, nec opportunum est, varias maleficiorum species recensere. Id adverto, quam impie varia mala inferuntur a Magis &

---

rerunt, amboque ceciderunt: & alter flamma consumptus est: nihil eo nomine potest agi, si non intelligatur, uter ab utro eversus sit.

81.) De hoc ritu Vid. Theoph. Raynaudus Opusc. Moral. de Monitor. Eccles. p. 2. c. 1. & 12.

& veneficis, tam inepte grandines, tempestates, varios hominum & animalium morbos passim imputari artibus Magorum & Sagarum, cum Sacra Scriptura semper inculcet, ea mala provenire a Deo, sapientissimo Gubernatore omnium elementorum 82.).

§. 258. Quærunt Theologi Morales, an & qua ratione solvi hæc Maleficia possint. Certum est, licere & debere destrui omnia opera diaboli, removeri ejusmodi ligaturas, corrumpi ac comburi, quidquid ex pacto diabolico positum, defossum aut constructum videtur. Unde potest advocari ipse Magus, ut instrumenta maleficii tollat. Ope dæmonis sæpe sub cute carni Magorum inseruntur particulæ ad Eucharistiam adhiberi solitæ: (an consecratæ sint, vel non, nobis discernere non licet: certe mancipia illa diabolica consecratas dicunt) eximendæ illæ mox sunt, cum servire soleant ad sacrilegas impietates 83.). Id semper cavendum, ne pa-

Solvi potest pactum dæmonis:

82.) Contra tales eleganter simul & vehementer invehitur S. AGOBARDUS tract. de Grandine & Tonitruis.

83.) Quidam in mea præsentia has parti-

pactum diaboli ſolvatur novo pacto: iſtud enim non licere, apud omnes compertum eſt. Quæritur autem, an novi pacti ſpeciem habeat, ſi quis conditionem illam ponat, qua poſita dæmon ſe non nociturum aſſeruit? Licet omnino ponere talem actionem, quæ aliunde ſcilicet a DEO, vel per preces Eccleſiæ habet vim cohibendi poteſtatem dæmonis. E. G. ſi dæmon Mago promittat, ſe ad ejus voluntatem in certa quadam occaſione nociturum, niſi vino miſceatur aliquid de Benedictione S. Joannis. Licita utique eſt hæc mixtio, non propter pactum diaboli, ſed quia ex dictis diaboli, quem DEus nonnunquam adigit ad dicendam veritatem, innoteſcit mihi, illam benedictionem in tali occaſione habere vim repellendi dæmonem ex voluntate DEI, & per preces Eccleſiæ. Poteſt e-

culas carni ſub cute inhærentes, tanquam fabulam anilem explodebat, ſed me in ſuam opinionem pertrahere non potuit; cum ego ipſe plures ejusmodi particulas ex brachio cujusdam feminæ eruerim, dæmone interim, durante hac operatione, manifeſta gravis indignationis ſuæ indicia & minas prodente.

etiam DEus rebus quibusdam naturalibus dare istam virtutem ad confundendum dæmonem, & in ipsius contemptum, prout communiter dicitur de herba Rutæ; & in libro Tobiæ legimus de jecore piscis. Si autem talis notitia non habeatur, & actio solummodo ponatur ex ea ratione, quia dæmon promisit, se sub ista conditione non nociturum; hoc aliquibus videtur superstitiosum, vel saltem nimium defertur dictis & promissis diaboli, cujus vim vult homo cohibere non per alia media, quam quæ ipse præscripsit, cum vera & viva fides in Christum longe alia media suppeditet. Sicut enim Magus superstitiose agit, qui ponit actionem ex pacto cum dæmone, quia dæmon promisit se nociturum posita hac actione: sic alius superstitiose videtur agere, si ponat aliam actionem ex ea ratione, quia dæmon dixit, se non nociturum posita hac actione.

Non tamen per novum pactum.

§ 259. Vulgaris est persuasio, ex pacto diabolico mihi damnum posse inferri, si saga tangat, vel palpet manum meam: nullum autem damnum sequi, si mox leviter repercutiam ejusmodi mulierem. Hanc reper-

percuſſionem hoc animo factam, non eſſe meram ſolutionem pacti, nec aliunde vim habere avertendi malum, conſequenter fieri ſuperſtitioſe ex illo pacto, quod dæmon cum ſaga iniit, ſibi perſuadent nonnulli. Inſignes tamen Theologi cenſent, ejusmodi repercuſſionem non eſſe ſuperſtitioſam, cum ex una parte ſit actio per ſe indifferens; ex altera parte nullum habeam pactum cum dæmone, ſed ſolummodo impediatur actio dæmonis mihi nocitura, ſicut juxta dicta poſſum deſtruere ligaturas, aut alia inſtrumenta Magorum. Repercutiendo non cenſeor habere firmam fidem dæmoni; ſed ſuſpicio mali, quam habeo ex communi perſuaſione, poteſt ſufficere ad ponendam aliquam actionem, per quam impediatur iſtud malum, ſicuti ex eadem ratione poſſum moveri ad omittendam aliquam actionem. Nam ſi ſolutio pacti fieri poſſit per puram aliquam omiſſionem actus, quem alias poſſuiſſem, id plerumque licitum erit, ex ea ratione, ne temere me exponam dæmonis inſidiis, ſicut non licet ſe exponere ejusdem tentationibus. Conſideret quilibet, quænam ex dictis opinio-

opinionibus magis congruat virtuti Religionis.

§. 260. De artibus diabolicis conqueruntur sæpissime novi Conjuges. Sicut enim severissime punienda est eorum scientia, qui magicis accincti artibus pudicos animos ad libidinem deflexisse deteguntur per philtra & pocula amatoria 84.): ita etiam detestanda est ars reddendi maritos impotentes ad consummandum matrimonium. Fit istud vel naturalibus medicamentis, & vocatur proprie *Veneficium;* vel opera dæmonis, & vocatur *Maleficium* 85.). Veneficia sæpe tolli possunt aliis contrariis medicamentis: contra Maleficia frustra adhibentur pharmaca; impie autem opponuntur aliæ artes æque superstitiosæ. Veri modi solvendi illa sunt frequens usus Sacramentorum, puritas conscientiæ, preces, jejunia, eleemosynæ, exorcismi, peregrinationes ad loca sacra, & alia bona

De maleficiis conjugum

84.) L. eorum 4. C. de Maleficis.

85.) Unde Rubrica Juris Canonici inscribitur *de Frigidis & Maleficiatis.*

opera, exercita cum vera fiducia in Christo, triumphatore inferni 86).

Difficilis est Processus in crimine Magiæ;

§. 261. Hucusque dicta pro intentione hujus opusculi non frustra inserenda duxi. Nunc propius ad scopum nostrum accedendo, omnibus harum rerum experientia nondum informatis, perspectum pro cautela deberet esse, quam difficilis, quam periculosus sit Processus contra crimen Magiæ; quam arduum sit determinare, an data indicia sint sufficientia ad Inquisitionem specialem, aut torturam, præsertim cum seductæ mulieres ipsæ nesciant, an revera diabolicis conventiculis interfuerint, an vero phantasmate in somno delusæ sint 87.). Plenior notitia de hoc singulari

86.) C. 4. XXXIII. q. 1. Fevret de l'Abus l. 5. c. 4. n. 5. seqq. Paulus Zacchias quæst. Medic. Legal. lib. 3. t. 1. q. 5. Sanchez de Matrim. disp. 94. seqq.

87.) C. 12. XXVI. q. 5. Canonis istius falsa est inscriptio, ut observat Baluzius ad Reginonem de Eccles. Discipl. lib. 2. c. 364. juxta editionem recentissimam Viennensem 1765. Circa doctrinam hujus Canonis legi potest Jo. Portas Dictionar. Cas. Consc. V. *Sortilegus* cas. 2.

singulari Processu in hoc opusculo a nemine exspectabitur 88.). Id nobis supereſt, ut subjungamus pœnas huic crimini ab utroque Jure ſtatutas.

§. 262. Crimen Sortilegii, Veneficii, Magiæ &c. eſt mixti fori. Si junctum ſit cum Hæreſi vel Apoſtaſia, cognitio pertinet ad Judicem Eccleſiaſticum. Videmus tamen hodie, quod cognitio horum criminum, ſi rei ſunt Laici, ſimpliciter relinquatur Judici ſeculari. In Legibus Civilibus eſt pœna capitalis: *Venefici capite damnantur, qui artibus odioſis, tam venenis, quam ſuſurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publice vendiderint* 89.). *Supplicio capitis ferietur gladio ultore proſtratus magus, & ceteri quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat* 90.). Juxta *Pœnæ hujus criminis.*

88.) Videri poſſunt Frölich de Frölichsburg Nemeſ. tract. 2. lib. 1. tit. 3. Ferd. Waizenegger, Profeſſor Ingolſt. de Maleficis. Tract. qui inſcribitur Cautio Criminalis, ſeu de Proceſſib. contra Sagas.

89.) §. 5. v. eadem lege. Inſt. de publ. Judic.

90.) L. 5. ſeqq. C. de Malefic.

Constitutionem Criminalem Caroli V. 91.) Magi & Venefici, qui artibus suis damnum intulerunt, supplicio ignis plecti debent: de aliis, qui nullum damnum inferunt, consulendi sunt Jurisperiti, ut juxta qualitatem delicti pœna statuatur. Qui autem abnegata Fide christiana dæmoni se mancipant, carnaliter cum eo commiscentur, vel sacrilege abutuntur rebus Sacris, ignis supplicio plectuntur, etiamsi nemini damnum inferant. Si Reus sit Clericus, excommunicatur, deponitur, degradatur, & traditur Judici Laico, si Magiam exercuerit cum negatione veri Dei, adoratione dæmonis, aut damno aliis illato. Ob crimen divinationis, sortilegii absque expresso pacto cum dæmone, item si Clericus operam suam præstet ad reperiendos Thesauros, ad benedicenda instrumenta superstitionum, arbitrariæ sunt pœnæ, suspensionis, depositionis, incarcerationis &c. Clericus, qui non per expressum pactum cum diabolo, sed ex inspectione Astrolabii voluit recuperare

91.) Art. 109.

cuperare furtum cujusdam Ecclesiæ, per annum suspensus fuit ab Altaris ministerio 92.).

92.) C. 2. de Sortileg.

Canones & Leges, quæ pro diversis sortilegiorum speciebus, pœnas statuunt, accurate recenset PAULUS GRILANDUS de Sortilegiis quæst. 11. & seqq. In Bullario Romano Cherubini recensentur variorum Pontificum Constitutiones super istis Criminibus. Tom. 1. Const. JOANNIS XXII. *super illius.* fol. 177. INNOCENTII VIII. *Summis.* f. 330. LEONIS X. *Honestis.* f. 456. HADRIANI VI. *Dudum.* f. 461. Tom. 2. SIXTI V. *Cœli & Terræ.* f. 388. Tom. 3. GREGORII XV. *Omnipotentis.* f. 327. BENEDICTI XIV. Tom. 1. sui Bullar. in append. N. 8.

Curiosæ eruditionis gratia, sed cum sale discretæ crisis, legi possunt THIERS, LE BRUN, SPRENGER & alii contenti in Voluminibus, quæ inscribuntur Superstitions Anciennes & Modernes, Malleus Maleficarum &c. Item DEL RIO Disquisit. Mag. lib. 5. Cavendum tamen a doctrinis WIERI, BODINI &c.

TITULUS XXII.
DE USURIS.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 19. Sext. Tit. 5. Clement. Tit. 5.

§. 263.

Usuræ POSTQUAM locuti sumus de Criminibus contra Fidem ac virtutem Religionis, nunc dicendum de Criminibus contra Justitiam, præcipue circa Bona temporalia proximi. Primum se offert frequentissimum & pernicioſissimum Crimen *Usuræ*. Edidi ante aliquot annos Dissertationes tres inscriptas: *Rigor Moderatus Doctrinæ Pontificiæ circa usuras.* Ex his aliqua in compendium redacta, ob graves tamen rationes satis fuse, sub hac Rubrica exhibere visum est, iis omissis, quæ contra Adversarium quendam ibidem inserta sunt, aut jam tractata in prioribus opusculis 93.). Qui plura petit, consulat GIBALINUM de Usuris, & alios Scriptores in dictis Dissertationibus allegatos.

Definitio: §. 264. Per usuram hoc loco intelligimus *Lucrum ultra sortem ratione Mutui*

93.) De Jure rer. Eccl. sect. IV. tit. 5. de Mutuo. item tit. 12. & 13.

tui perceptum. Usura igitur sedem proprie habet in Mutuo, & extra Mutuum, saltem implicitum, non datur usura. Licitum quidem est, occasione Mutui aliquid dare, vel sperare ex mera gratitudine; modo non exigatur tanquam ex gratitudine *debitum* 94.). Sic intelliguntur Verba Christi: *Mutuum date, nihil inde sperantes* 95.), id est, ne quis ratione Mutui speret alterum obligatum, vel ad dandum lucrum ultra sortem, vel ad reddenda *æqualia*, scilicet ad simile mutuandi officium; nam hæc ipsa obligatio in lucro poneretur.

§. 265. Usura, prout complectitur licitam & illicitam, dividitur I. in *Lucrativam*, qua percipitur lucrum ratione solius Mutui: in *Compensatoriam*, ad resarciendum damnum: & in *Punitoriam*, quæ exigitur in pœnam a Mutuatario in reddenda sorte moroso. *Divisio.*

94.) Merito damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio 42. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

95.) Luc. VI. 35.

so. II. In *Conventionalem*, quæ ex pacto debetur : & in *Necessariam*, quæ sine conventione, forte ob moram culpabilem solvitur. III. In *Realem*, qua lucrum in pactum deducitur, vel saltem voluntas lucri recipiendi insinuatur : & in *Mentalem*, quando lucrum tanquam debitum intenditur, absque pacto exterius manifestato. IV. In *Formalem*, seu apertam, quando ex Mutuo simplici percipitur lucrum : & in *Virtualem*, seu palliatam, quæ sub specie alterius contractus exercetur, uti, cum carius vendis, præcise ob dilatam solutionem. V. In *Usuram Sortis*, quæ datur pro pecunia accepta ; & in *Usuram usuræ*, quando ex usura nondum soluta novum conficitur debitum, quod iterum pariat usuram. VI. Ratione quantitatis nominamus Usuram juxta partes Assis Romani. Assem usurarium, constantem duodecim unciis, vocamus Usuram *Centesimam*, quando quovis mense, ad cujus Calendas Romani usuras exigebant, recipitur unus aureus consequenter per integrum annum duodecim pro centum, ita ut intra centum menses reddatur tota sors mutuo data. Exinde nominantur

tur aliæ minores usuræ singulis annis præstandæ juxta unciarum nomina, Deunces, Dextantes, Dodrantes, Bessales, Septunces, Semisses, Quincunces, Trientes, Quadrantes, Sextantes, denique Unciæ, quando datur unum pro centum per singulos annos. Unde *Centesimæ* erant maximæ apud Romanos, *Unciales* erant minimæ, quamvis etiam reperiantur semiunciales. VII. Aliqui dividunt Usuram in *Moderatam*, & in *Mordentem*, quæ intra justos fines non sistit. Nos hanc divisionem eo modo intelligimus, quo unum furtum dicimus levius, alterum gravius.

§. 266. Usura lucratoria omni Jure est prohibita. *Jus Naturale*, sicut cujusvis contractus leges accurate servatas cupit, ita in Mutuo exigit æqualitatem dati & accepti: hanc autem æqualitatem violat, qui postquam tantundem restitutum fuit, adhuc exigit lucrum ratione mutui; per hoc enim transfertur dominium rei mutuo datæ, consequenter non potest exigi lucrum ex re aliena. Textus *tam veteris, quam novi Testamenti* *Usura lucratoria prohibetur Jure Divino,*

contra uſuras 96.) continent Legem moralem, conſequenter ex æquitate naturali & Divina obligantem. Si Hebræis permiſſæ fuerunt Uſuræ ſaltem contra Gentes alias 97.), ratio potuit eſſe, quod DEus Hebræis jus dederit, vicinos populos jure belli ſpoliandi, vel ex alia juſtiſſima cauſa, ſicut dederat jus ſpoliandi Ægyptios. Certe Concilia & Sancti Patres dicunt, uſuras *utriusque Teſtamenti pagina* condemnari 98.); *contra Jura Divina pariter & humana* a quibusdam approbari uſurariam pravitatem: ſi quis affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum, decernitur, *eum velut hæreticum puniendum* 99.). Inepte pro uſuris quidam allegant locum Evangelii 100.), ubi damnatur ſervus, qui pecunias domini non expoſuit ad uſuras; nam Divinus Servator noſter pro informandis moribus trahit ſæpe ſimilitudines ex rebus terrenis magis cognitis, in quibus tamen

96.) Exod. XXII. 25. Levit. XXV. 35. ſeq. Luc. VI. 34. 35.
97.) Deuteron. XXIII. 19. 20.
98.) C. 3. de Uſur.
99.) Clement. un. de Uſur.
100.) Matth. XXV. 27. Luc. XIX. 23.

men res ipsa non probatur. Villicus iniquitatis, Judex nec DEum nec homines veritus, non proponitur imitandus in rebus terrenis. Sic etiam Christus non vult commendare usuras pecuniæ, sed ex studio hominum cumulandi pecunias, animat ad usuram Gratiæ & Meritorum supernaturalium, bono usu semper augendam,

§. 267. *Jure Canonico* damnantur Usuræ in singulis ejusdem libris 1.) *Et Humano, Jus Civile* diversis temporibus varia statuebat, aut permittebat circa usuras: nunquam simpliciter probavit: vehementer autem improbavit Usuras usurarum, seu *Anatocismum* 2.); & Usuras excrescentes *in alterum tantum* 3.). In Germania nec Constitutionibus totius Imperii, nec Statutis Provinciarum unquam approbatæ fuerunt Usuræ Lucratoriæ, quamvis alicubi non punitæ: quam tamen toleran-

1.) Distinct. XLVI. c. 9. & 10. item dist. XLVII. late etiam Caus. XIV. q. 3. & 4. In Decretalibus, in Sexto Decretalium & Clementinis Tit. de Usuris.

2.) L. 29. ff. de Usur. L. 28. C. eod. L. 27. ff. de re judic.

3.) L. 10. C. de Usur. Nov. 121. & 138. Vid. Tabor tract. de altero tanto.

lerantiam improbant ſummi Pontifices 4.). In Receſſibus Imperii, ubi de Reformatione Politica agitur, frequenter inſeritur Titulus de Uſurariis contractibus : ibi tamen non ſolet agi de Uſura, prout provenit ex mutuo, ſed de variis aliis doloſis contractibus cum damno aliorum, & pernicie Reipublicæ initis : unde illæ Conſtitutiones non pertinent ad rem præſentem.

Omnis & contra omnes.

§. 268. Ex dictis deducitur, *omnem Uſuram*, licet moderatam, eſſe illicitam, quia omnis repugnat Juri Naturali & Divino ; Canonico & Civili, utpote inæqualitatem in Contractu Mutui inducens contra Juris Naturalis præcepta : nec ſacræ, nec aliæ Leges diſtinguunt, quia uſuram numerant inter peccata Injuſtitiæ, quæ etiam in minimo ultra Sortem exacto lucro committitur. Similiter illicita eſt Uſura *contra omnes*, cuicunque demum conceſſum ſit Mutuum, ſive pauperi, ſive diviti. Quamvis enim Leges Divinæ & humanæ frequentius damnent Uſuras contra pauperes exercitas ; propterea tamen non probant Uſuras

4.) C. 3. de Uſur. Clem. un. eod.

Usuras contra divites ex sola ratione Mutui exactas: sicut acrius damnatur furtum ex rebus pauperis, non tamen licitum censetur furtum ex rebus divitis factum. Pecunia tamen diviti concessa facilius præbet alium titulum, vel constituit alium contractum a Mutuo separatum & distinctum. Quod igitur Usuræ nomine accipitur, restitui debet ex titulo Rei acceptæ, & ex titulo injustæ acceptionis, cum omnibus fructibus inde natis, quæ obligatio transit ad hæredes juxta vires hæreditatis.

§. 269. Quamvis lucrum ex sola ratione Mutui exactum, Usura sit illicita; dantur tamen nonnulli tituli aliquid ultra sortem exigendi, tales autem non circa omne Mutuum occurrunt. Juvat inprimis aliquos titulos spurios recensere. Primus est *Stipulatio vel Pactum*. Cum autem quilibet de rebus suis possit disponere, seque circa illas obligare, censent aliqui, id etiam fieri posse circa usuras, cum scienti & volenti non fiat injuria. Huic tamen ratiocinio obstat, quod ille, qui stipulatione se obligat ad usuras, nequaquam intendat donare; proin invitus se obliget

Titulus vitiosus exigendi lucrum ex Mutuo, est Pactum:

liget ad præstandum lucrum ratione Mutui, qui titulus Jure naturali & Divino inhabilis est ad pariendam obligationem; nec alteri præbet jus aliquid exigendi, sicuti si necessitate compulsus cogeretur rem plus justo emere. Quamvis etiam talis debitor nulla necessitate compellatur ad mutuum petendum, compellitur tamen ad usuras solvendas, si velit mutuum obtinere.

Carentia pecuniæ:

§. 270. Similiter ineptus est titulus *Carentia pecuniæ*, quæ est essentialis Mutuo. Cum igitur nihil liceat exigere ratione Mutui, id etiam non licet ex eo, quod Mutuans carere debeat pecuniis; etiamsi addatur obligatio non repetendi sortem ante certum tempus: talis enim obligatio est essentialis Mutuo, ne censeatur esse merum Precarium. Nam pactum de non repetendo Mutuo intra certum tempus, nihil aliud est, quam Mutuum prorogatum, consequenter semper consistit intra terminos Mutui, ratione cujus nihil potest exigi.

Pecuniæ Fœcunditas.

§. 271. *Pecuniæ Fœcunditas* seu utilitas non potest allegari pro titulo legitimo exigendi usuras. Fructus quidem naturales non nascuntur ex pecunia,

cunia, cum illius, uti aliarum rerum fungibilium usus consistat in consumptione: fructus autem industriales, id est, emolumenta per propriam Mutuatarii industriam percepta, non pertinent ad Mutuantem, respectu cujus absque alio titulo pecunia omnino est sterilis, sicut etiam grana frumenti mutuo data, sunt sterilia respectu Mutuantis, licet ex natura sua essent frugifera: nam res fructificat domino suo, qualis est Mutuatarius. Ejusmodi igitur tituli omnino sunt Spurii & insufficientes ad exigendum lucrum ultra sortem; quibus annumeratur etiam, quod æque usurarium sit, accipere lucrum a Tertio, in cujus gratiam conceditur Mutuum alteri; sicuti usurarium est accipere ab ipso Mutuatario.

Non ubique occurrit contractus justus lucrativus.

§. 272. Eodem modo non ubique occurrit contractus justus lucrativus: in quibusdam enim circumstantiis, vel nullus vel solum gratuitus iniri potest contractus absque lucro. Imo sæpe nec Mutuum quidem habet lucum, quando quis constitutus est in extrema necessitate, simulque nullam spem habet acquirendi, quod restituere possit. Qua ratione enim

huic

huic imponi potest obligatio restituendi ex Contractu Mutui? Donare huic homini potes, & eleemosynam dare, ac sæpe teneris. Unde *dari obligationem mutuandi gratis, constituto in extrema necessitate*, est propositio nimis generalis, & hoc ipso minus castigata 5.).

Sæpe involvitur Usura palliata.

§. 273. Aliqui contractus, qui videntur habere affinitatem cum Mutuo, involvunt palliatam Usuram. Talis est I. Contractus *Mohatra* 6.), quando alicui præsentem pecuniam quærenti, quidpiam carius venditur, ut statim a venditore per se, vel per interpositam personam vilius ematur. II. Quando res solum *ob dilatam solutionem* justo carius venditur 7.): vel emitur minoris solum ob anticipatam solutionem. III. Quando vi pacti *Antichreseos* creditor rei frugiferæ sibi oppignoratæ, fructus lucratur, & nihilominus sortem integram

5.) Ut observavi in Rigor. Moder. Differt. I. §. 76. Schol. & Differt. II. §. 275 Schol.

6.) Innocent. XI. propos. 40. inter damnat.

7.) C. 10. de Usur.

gram recipit. IV. Quando ex pacto tota summa debet restitui in numerata pecunia, cum debitor acceperit partim pecuniam, partim nomina, quæ difficile exigi possunt, vel merces plus justo æstimatas. V. Quando in contractu Societatis, salva sorte fructus communiter dividuntur, & damnum ad solum accipientem pertinet. Hi similesque contractus ob palliatum Mutuum, & inde exactas usuras damnantur.

§. 274. Fingunt aliqui contractum *Usurarium*, cui ex pacto accedit lucrum ultra sortem. Talem contractum ajunt non esse Mutuum, cum non sit gratuitus; eo ipso autem non contineri in eo Usuram proprie dictam, quæ in solo Mutuo sedem habet. Explicant autem hunc contractum, quod transferatur quidem specierum traditarum dominium in accipientem; quantitatem tamen non alienari, sed salvam remanere sortem Creditori in bonis debitoris, ex quibus creditor suo tempore juste repetit sortem *suam*. Discursus iste nequaquam est solidus. Quamvis enim Mutuo addatur pactum de lucro su- *Figmentum concractus usurarii.*

peraddendo, manet tamen Mutuum, sed injustum ; nam esse gratuitum, non ad substantiam, sed ad Naturam Mutui pertinet: sicut manet Emptio Venditio, licet exigendo justo majus pretium , lædatur æqualitas contractus,quæ ex obligatione justitiæ commutativæ reparari debebit per restitutionem. Quod autem Sors Creditoris maneat in bonis debitoris, mera sunt verba , quibus turbantur limites contractuum. Per contractum Societatis quilibet ex sociis retinet dominium sortis suæ in bonis alterius juxta proportionem pecuniæ vel rei in Societatem collatæ, sed per contractum Mutui, translato rerum creditarum dominio, nihil mutuanti remanet, nisi actio personalis, seu condictio , ad repetendam sortem *suam*, id est, sibi ex credito *debitam*. Figmentum istius contractus usurarii in publicam lucem protulit Claudius Salmasius , peculiari in hanc rem scripto edito, quo propugnare ausus est, *Mutuum non esse alienationem*. Huic Joan. Jacob. Wissenbachius opposuit Diatribam de Mutuo, propugnatam postea eruditis *Vindiciis*, ubi ostenditur Mutuum esse alienationem.

§. 275.

§. 275. Perspectis vitiosis titulis, qui ad auctarium licite ultra sortem exigendum in Mutuo non sufficiunt, examinandæ sunt causæ illæ, Mutuo nequaquam innatæ, quæ meliori jure admittant aliquid ultra sortem mutuo datam exigendum. Regula generalis est, eum titulum concurrentem cum Mutuo ad hoc sufficere, qui in aliis negotiis vel contractibus sufficit ad percipiendum emolumentum ultra negotii aut contractus illius obligationem. *Tituli aliquid exigendi occasione Mutui sunt*

§. 276. Primus ejusmodi Titulus assignari solet *Damnum emergens*. Quilibet in præstando beneficio consulere potest suæ indemnitati 8.): proin etiam mutuans indemnitati suæ prospiciens, non committit usuram, quia ista indemnitas non est lucrum ex Mutuo proveniens, sed mera reparatio ejus, quod occasione Mutui rebus meis detrahitur. Si tamen Usuræ nomen latius sumitur, potest dici Usura *Compensatoria*. Titulus iste locum habet, quando debitoris mora culpabilis, est causa damni, quia forte res mihi necessarias cariori pre- *Damnum emergens*

8.) C. 4. X. q. 2. L. 50. ff. de Re judic.

tio postea debebo emere, quas leviori emissem eo tempore, quo debitor ad solutionem tenebatur. Si nulla imputari potest mora, ratio damni emergentis haberi potest ex pacto, quo se debitor obligat, vel ad resarciendum damnum quodcunque occasione mutui eventurum creditori; vel ad solvendam certam summam, pro ratione periculi de damno verosimiliter eventuro.

Lucrum cessans:

§. 277. Secundus Titulus exigendi auctarii dicitur *Lucrum cessans.* Nam id quod interest creditoris, non tantum ex damno incurso, sed etiam ex lucro cessante æstimatur; uti si ex defectu pecuniæ mutuo datæ impediar ab emptione vel negotiatione valde lucrosa 9.) Compensare hoc lucrum debet, qui ex culpabili mora solutionem debito tempore non præstat, vel pecuniam negotiationi expositam, aut exponendam invito extorquet: item ex pacto, si probabilis

9.) Mea interest, *quantum mihi abest, quantumque lucrari potui.* L. 13. pr. ff. ratam rem haberi &c. damnum pati videtur, qui commodum omittit. L. 2. §. 11. ff. ne quid in loco publ. fiat &c.

babilis spes lucri in gratiam mutuatarii omittitur, ut supra de damno emergente dictum est: passim enim, quod ratione damni emergentis vel lucri cessantis exigitur venit sub nomine *Interesse*. In Germania pro foro externo præsumitur cessare in singulos annos lucrum aureorum quinque ex retardata solutione aureorum centum 10). Notatu dignum est, quod Canones, Leges & antiqui Doctores hunc Titulum, vel aperte damnent, vel saltem expressis verbis non tradant; medii autem ævi Scriptores opinionem hanc cum formidine tanquam minus probabilem defendant; & tamen apud hodiernos Doctores, qui rigidiorem etiam profitentur Doctrinam Moralem, ea jam in communem & certam transierit.

§. 278. Tertius Titulus censetur esse *Periculum sortis* vel penitus amittendæ, vel non sine magnis molestiis recuperandæ. Certum est, quod Creditor possit se de recuperanda sorte securum præstare per pignora vel fidejussores: si ab hac molestia liberum *Periculum sortis*,

10.) Recess. Spirens. ann. 1600. §. 139.

præstat debitorem, hoc sane est pretio æstimabile, & mutuo penitus extrinsecum, consequenter potest Creditor aliquid exigere proportionatum periculo, quod subit non petitis pignoribus vel fidejussoribus; sicut etiam potest pactum fieri de augmento propter probabile periculum damni eventuri, vel lucri cessaturi, quamvis forte non contingat damnum, aut non cesset lucrum. Verum quidem est, quod per obligationem lucri non redimatur periculum sortis amittendæ, sicut redimitur periculum damni eventuri, vel lucri cessaturi: nihilominus illud periculum minuitur per spem pinguioris auctarii, & per actuales præstationes annuas. Si ex spe talis lucri subit quis periculum amittendæ sortis, certum est, quod ex simili spe plura subeantur onera & pericula in aliis etiam contractibus & negotiis. Hoc tamen notandum, ob spem lucri Mutuatarium non compellendum ad pactum de pretio periculi ineundum, si ipse potius velit alia via idonee cavere.

Pro cujus securitate

§. 279. Distingui solet in Mutuo periculum *Juris*, quod quis ita suscipit, ut si quo casu res pereat, ejus

resar-

resarciendæ damnum assumat: & periculum *facti*, scilicet periculum perdendæ aliquando sortis. Periculum *juris* Mutuatario incumbit, qui proin habet obligationem restituendæ pecuniæ, quæ casu fortuito perit: & hanc obligationem censent aliqui debere sufficere Mutuanti pro securitate. Sed quid juvat hæc obligatio Mutuantem, si debitor suæ obligationi non satisfaciat? Periculum igitur *facti* est penes mutuantem, qui propterea posset petere pignora, vel fidejussores: consequenter potest etiam petere auctarium ultra sortem, si absque cautionibus se velit exponere periculo: sicut Mercator ob multa superanda pericula carius merces suas vendit, quamvis emptor nullo liberetur periculo, sed tantum liberetur a magna molestia carendi variis mercibus. Ajunt, æstimationem damni non esse supra totius Capitalis æstimationem; consequenter Capitalis periculum non esse æstimabilius ipso reali Capitalis damno: quidquid igitur supra totius Capitalis æstimationem ratione periculi exigitur, injuste exigi. Sed sciant, periculum recuperandi solutionem mutuatæ pecuniæ in præsenti quæstione,

esse prorsus separatum a debito vel damno mutuatæ pecuniæ; alias ad avertendum periculum amittendæ sortis injuste retinerentur pignora, injuste daretur actio pignoratitia: haberetur enim aliquid pretio æstimabile ultra sortem; cum tamen Montes Pietatis non tantum exigant pignora, sed etiam aliquid in salarium Ministrorum pro labore custodiendi pignora.

Possent peti pignora.

§. 280. Patet inde ratio, cur fur non teneatur præter rem ipsam furto ablatam, aliquid restituere ratione periculi, in quod pecuniæ dominum ex culpa conjecit; nam periculum non æstimatur post eventum, sed antea per pactum ex eo, quod quis sine obligatione in gratiam alterius hoc periculum subeat: igitur æstimationem periculi non debet præstare fur, quia dominus nequaquam vult istud periculum in se suscipere; obligat enim furem ad pecunias non consumendas, sed mox restituendas. Contra Creditor concedit pecunias libere consumendas, & non nisi post longius tempus reddendas, nec exigit securitatem per pignora. Si dominus rei furtivæ furi permitteret lon-

longiorem moram ad restitutionem faciendam, posset interim petere pignus, & consequenter etiam auctarium in defectu pignoris: absque pacto autem fur ad id non tenetur 11.). Perpensis omnibus, videtur tuta & vera sententia, asserens, periculum amittendæ, vel magna cum molestia recuperandæ sortis, esse justum titulum paciscendi de auctario ultra sortem solvendo in Mutuo.

Lucrum non competit ex pignore:

§. 281. Pro quarto titulo examinandum breviter est jus pignoris, an in hoc vel ex hoc competat aliquod auctarium ultra sortem. Merito quæri potest, quo jure hæc molestia constituendi pignus, & inde enascens onus actionis hypothecariæ, adjungi possit contractui gratuito, scilicet Mutuo? Debitores sæpe morosi, aut etiam fallaces in restituendo, sibi debent hoc onus imputare, quod etiam ferunt debitores fidelissimi cum Leges id onus imponunt ob universale periculum, quod non cessat pro casu particulari. An autem Creditor præter securitatem debiti,

11.) Ad argumentum ex C. naviganti. de Usur. desumptum, videantur dicta de Jur. rer. Eccl. sect. 4. §. 363.

ex pignore frugifero pro mutuata pecunia dato, aliam utilitatem quærere possit, brevi & certa responsione resolvitur: fieri id absque vitio usuræ non posse, nisi præter usum pecuniæ creditæ, alius justus accedat titulus. Unde illicitum est pactum *Antichreseos*, quo jus re frugifera oppignorata utendi, fruendi, loco pecuniæ creditæ in Creditorem confertur, nisi usus aut fructus rei oppignoratæ adæquet emolumenta ex justo titulo occasione mutui debita, forte damni emergentis, lucri cessantis, impensarum in culturam rei oppignoratæ &c. absente tali titulo tenetur Creditor fructus, aut saltem excéssum domino restituere, aut in sortem computare.

Excepto Pignore Dotali & Feudali.

§. 282. Particularis tamen ratio pugnat pro *Pignore Dotali*, quod scilicet datur pro securitate Dotis promissæ, nondum numeratæ. Cum enim fructus Dotis impendendi sint ad sustinenda onera Matrimonii: hinc etiam, qui solutionem promissæ Dotis, dato frugifero pignore differt, fructus hujus pignoris censetur concedere in locum fructuum dotis, etiamsi forte excedant fructus ipsius dotis pro-

promissæ 12.). Singularis etiam est doctrina ALEXANDRI III. 13.), & INNOCENTII III. 14.) circa Pignus Feudale, quando scilicet vasallus domino directo, a quo mutuas pecunias accipit, in pignus tradit feudum, ab ipso hoc domino, vel ejus majoribus profectum: fructus enim ex tali pignore concedunt dicti Pontifices domino directo, nequaquam in sortem computandos. Non videtur hæc esse nova Constitutio, sed declaratio Naturæ feudi, quæ est, ut eo penes dominum directum existente, vasallus immunis sit ab obsequiis præstandis, simul autem careat fructibus: & vicissim dominus jus habeat percipiendi utilitatem, licet dominium utile maneat penes vasallum. Incongruum enim videtur, ut redeunte re feudali ad dominum, ipse non ut dominus, sed ut extraneus quilibet rem administret, & fructuum rationem reddere suo vasallo teneatur. Hanc feudi Ecclesiastici naturam cognoscimus ex

12.) C. 16. de Usur. De Dotalibus Usuris Vid. HONORATUS LEOTARDUS de Usuris quæst. 28.
13.) C. 8. eod.
14.) C. 1. de feudis.

ex allegatis Constitutionibus Pontific. cum, quæ passim extenduntur ad feuda secularia, non tamen ad bona Emphyteutica 15). Longe ex aliis principiis ALEXANDER III. jussum suum de pignore cum fructibus restituendo limitat, *nisi forte Ecclesiæ beneficium fuerit, quod redimendum ei* (Clerico Creditori) *hoc modo de manu laici videatur* 16.). Posset hoc loco mentio fieri de Oppignorationibus in Germania consuetis: de his sufficiant dicta de Jur. Rer. Eccles. Sect. 4. §. 392. & Scriptores ibi allegati.

Ex Statuto Principis posse exigi auctarium ultra sortem concedunt aliqui;

§. 283. De alio insuper Titulo exigendi auctarium ultra sortem, nempe de *statuto Principis*, vel *Consuetudine* vehementer disceptatur. Aliqui affirmant, usuram lucratoriam minus stricte sumptam, & jure Naturali ac Divino prohibitam, probabiliter non esse ita absolute prohibitam, ut a Magistratu humano per statutum, in quibusdam circumstantiis & ex causa publica permitti non possit tanquam licita;

15.) Limitationes aliquas circa pignus feudale vid. Rigor. Moder. Differt. 2. §. 100.

16.) C. 1. de Usuris. Vid. supra tit. 17 de Simonia. §. 17.

licita; modo sit moderata, & aliunde non repugnet caritati erga proximum, a Jure naturali ac Divino præceptæ. Quod dicitur de statuto Principis, intelligi etiam debet de Consuetudine, quæ potissimam suam vim derivat a consensu Principis. Posse Principem, considerato dominio alto in bonis privatorum, ex causa publica & in quibusdam circumstantiis alicui concedere jus ad moderatas quasdam præstationes a subdito suo exigendas, nemo negat; sicuti autoritate Episcopi conceditur alicui jus, exigendi pensionem annuam a Beneficiato quopiam. Quod autem id fieri possit occasione Mutui, multi non dubitant: nam statutum Principis est extrinsecum Mutuo, sicuti damnum emergens, aut lucrum cessans. Ratio igitur ultimata talis statuti non esset Mutuatio, sed causa aliqua publica exigens, ut mutuanti aliquid præstetur: hinc parum interesse videtur, an occasione Mutui, an alia occasione jus ad præstationes concedatur a Principe, sicut parum interest, an damnum emergat occasione mutui, an occasione alterius contractus.

§. 284.

Alii negant.

§. 284. Hanc opinionem acerbitate nimia aliqui impugnarunt. Ego breviter sentio, in Imperio Germanico nullum dari statutum universale approbans auctarium ultra sortem exigendum, nisi intercedat alius titulus legitimus: a ferenda autem tali lege Principes Imperii convenienter abstinuisse. Imaginantur sibi aliqui, se invenire tales Leges universales in Recessibus Imperii. In Conventu Deputatorum Spirensi anno 1600, §. 139. statutum fuit, ut in contractu Mutui, quando debitor est in mora restituendi, adjudicentur Creditori quinque pro centum loco interesse, a tempore moræ, ex præsumptione, quod Creditor ab hoc tempore, licito modo ad minimum potuisset obtinere lucrum ad proportionem quinque pro centum. Ex quo clare intelligitur, quod absque prævia culpabili mora, nullæ adjudicentur usuræ: posita autem hac mora, absque longiore causæ cognitione adjudicentur quinque pro centum *ex præsumptione* tanti lucri cessantis, vel damni emergentis, ad tollendas Prolongationes Processuum. Sicuti autem cessante hac præsumptione, nec peti

nec

nec accipi tale auctarium posset, ita etiam si Creditor censeret, majus damnum se ex mora passum esse, liceret ipsi totum suum interesse deducere, & liquidare.

§. 285 Postquam dein anno 1648. in Instrumento Pacis Cæsareo - Sue-cico 17.) insertum fuit monitum, ut Imperator exquiri curet modum conrevenientem terminandi moderate persecutiones actionum contra debitores, ob bellicas calamitates fortunis lapsos, aut nimio usurarum cursu gravatos, auditis Consiliis supremorum Tribunalium constitutum fuit 18.), ut futuri census & interesse, *juxta tenorem Constitutionum Imperii* solvantur non in majore quantitate, quam quinque pro centum in singulos annos. Hæc Constitutio loquitur solummodo de debitoribus, qui calamitate belli tricennalis fortunis lapsi essent, quibus juxta allegatum articulum Pacis Westphalicæ succurrendum erat, & dicto modo succurrendum videbatur, supposito quod Cre-

In Imperio non habetur tale Statutum.

17.) Art. VIII. §. 5.
18.) In Comitiis Ratisbon. ann. 1654. §. 174.

Creditores habeant juſtum titulum, alias in Imperio approbatum, exigendi aliquid ultra ſortem; unde additur *juxta tenorem Conſtitutionum Imperii*, quæ non admittunt alias uſuras, niſi ſolum, quod intereſt poſt moram ex præſumptione damni emergentis, vel lucri ceſſantis. Plane convenienter abſtinuerunt Principes a ferenda lege de uſuris aliis: quamvis enim Princeps poteſtatem habeat obligandi ſuos ſubditos ad aliquid alteri præſtandum, hoc tamen non ſolet facere, niſi per aliquem contractum, vel aliud proportionatum medium, per quod talem obligationem ſubditi incurrerent ex Juſtitia commutativa; obligare enim ex ſola lege Principis, videtur ſapere aliquam violentiam, ſicuti belli dux concedit militibus ſpolia hoſtium. Permitti igitur auctarium ultra ſortem absque alio titulo *non poteſt* ratione ſolius Mutui; ratione ſolius ſtatuti *non ſolet* talis obligatio imponi. Unde convenientiſſime a tali lege abſtinuerunt Principes Imperii. Eadem eſt ratio conſuetudinis, qua non poteſt introduci obligatio aliquid ſolvendi absque ullo titulo, & præcipue ex juſtitia commu-

mutativa, quam non fundat sola consuetudo.

§. 286. Memorandus adhuc est alius modus acquirendi Mutuum cum obligatione aliquid præstandi ultra sortem. Fit hoc in *Monte Pietatis*, quo nomine intelligitur *summa quædam pecuniæ* (seu aliarum rerum usu consumptibilium) *in pauperum opem collata, ut istis sub pignore credatur.* Occasionem huic Instituto dedit seculo XV. perversitas Judæorum, qui intolerabilibus usuris spoliarunt cives, præsertim in Italia. Laudabant omnes, ut sub pignore darentur pecuniæ indigentibus in summa moderata, quam censebantur posse restituere intra breve tempus, quo elapso Monti satisfieret ex vendito pignore. Id improbabant nonnulli, quod ultra summam mutuo datam deberet restitui aliquod auctarium, licet modicum pro salario Ministrorum impendendum 19.). Denique Concilium

Modicum augmentum concedi-tur in Monti-bus Pie-tatis:

19.) Disceptationes partim fervidas, partim ridiculas de hoc negotio retuli in Rigor. Moder. Differt. II. §. 288. seqq. ex coævis Scriptoribus, & ipsis fabularum harum Actoribus Nicolao Bariano, Bernardino de Busti &c.

Lateranense sub Julio II & Leone X definivit, *Montes Pietatis, in quibus pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ... ultra sortem absque lucro eorundem montium accipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare: neque ullo pacto improbari, quin imo meritorium esse ac laudari & probari debere tale mtu'um, & minime usurarium putari &c.*

Montes mixti

§. 287. Autoritate igitur hujus Concilii Lateranensis improbari non possunt Montes Pietatis, quamdiu primævam suam institutionem retinent; in plurimis tamen locis recesserunt ab antiqua Pietate, & redolent meram negotiationem lucrosam. Cum enim non tantum indigentibus modicæ summæ dari soleant, sed etiam indigentes summæ mercatoribus, aut aliis pro emendis bonis & prædiis magni momenti præstentur; hinc variæ inventæ sunt viæ augendi summam capitalem Montis. Periculosa autem via est, qua Mons mutuas pecunias a divitibus accipit, cum onere præstandi illis aliquos fructus annuos, quos dein pauperes, mutuum a Monte petentes compensare debebunt. Montes hos *Mixtos* vocant, quod

non

non nihil a puris Montibus Pietatis deficiant, & aliqua ratione accedant ad Montes profanos, quales jam antiquitus erecti fuerunt Venetiis, Genuæ & Florentiæ. Nam ad normam horum profanorum, qui mere ad majores negotiationes destinati sunt, & annuos census emptioni exponunt, hodie etiam in Montibus, qui ex prima sua fundatione adhuc *Pii* vocantur, publico commercio exponuntur, emuntur, venduntur, transferuntur Loca Montium, seu jus ad annuos census, & demum ad ipsam summam capitalem recuperandam ex Monte, ita ut indigentes compensare debeant non tantum expensas Ministrorum, sed etiam annuas præstationes creditoribus Montis exhibendas. Unde accipiens ex Monte centum, præter securitatem pignore datam, præstare annuatim debet in multis locis octo, novem vel decem. In quibusdam tamen locis, præcipue Romæ reperitur Mons, ubi unum pro centum more antiquo exigitur.

§. 288. Percipi vix potest, qua ratione dicti Montes mixti absque labe usuraria teneri possint, nisi Creditores Montis vere exhibere possint *Vix excusantur ab usuris.*

Titulum damni emergentis, vel lucri ceſſantis. Plures Theologi Morales 20.), qui voce tenus profitentur ſeveriorem doctrinam, altum tenent ſilentium de his Montibus mixtis, ne offendant potentes horum Montium patronos, & forte propriam praxin. Sed PETRUS BALLARINUS 21.) aperte eos improbat, & figmentum Brevis Apoſtolici pro Monte Ferrarienſi allegari ſoliti clare detegit. Unde in Germania pauci eriguntur Montes Pietatis, aut erecti ætatem non ferunt, niſi aſſignentur a Republica certi & ſtabiles reditus, ex quibus ſubveniri per Mutuum poſſit indigentibus, quin opus ſit Montem augere, vel conſervare pecuniis mutuo acceptis.

Utiles ſunt contractus lucroſi:

§. 289. Utiliſſimum & convenientiſſimum eſt in Republica, ut cives, qui habent otioſas pecunias, poſſint per eas lucrum acquirere; pauperiores autem poſſint pecunias obtinere per ſuas operas. Sicuti recenſiti aliqui

20.) FRANC. GENETTUS Theol. Moral. tom. 1. tr. 4. c. 8. loquitur de Montibus Pietatis, ſed de Mixtis cautiſſime file.

21.) Tract. de Jure Divin. & Natur. circa uſur.

qui Tituli Mutuo accedentes occasionem lucri sæpe præbent, ita etiam dantur varii contractus, per quos & illi, qui pecunias otiosas domi habent, & alii, qui operas suas gnaviter præstant, honestum lucrum reportare possunt. Nec opus est, ut pro reperienda natura, aut nomine talium contractuum recurramus ad Leges Romanas, cum etiam Principes nostri potestatem habeant ordinandi novos Contractus, Romanis Legibus ignotos, modo sint conformes Justitiæ & Charitatis regulis, *Justitiæ* quidem, ut in Contractibus utrinque obligatoriis servetur æqualitas; *Charitatis* autem, ut indigentiæ alienæ succurratur juxta mensuram facultatis propriæ.

§. 290. Contractus lucrum promittentes ex pecuniis, præter alios 22.), sunt Societas, Assecuratio, & Conventio de lucro certo minore pro incerto majore. Hi tres Contractus a nemine impugnantur, si singuli seorsim considerentur. Quæritur autem, an illi inter eosdem contrahentes, circa eandem pecu-

Inter quos contractus Trinus

22.) De quibus dictum est de Jur. Rer. Eccl. Sect. 4.

niam ab uno collatam, successive vel simul uno eodemque tempore & actu, explicite vel implicite iniri possint? Id si fiat, prodibit famosus *Contractus trinus*. Hic si explicite ineatur, tendit hoc modo. Sempronius præbet mercatori magnam pecuniæ summam in societatem pro negotiatione Indica: cum autem totam periculo exponere nolit, mercator illum securum reddit de sorte integra pro quocunque casu restituenda: Sempronius vicissim illi relinquit totum lucrum, quantumcunque ex hac pecunia obtinebitur, contentus modica portione, scilicet quinque in centum. In locis, ubi hi contractus sunt usitati, non opus est ambagibus verborum, sed paucis verbis, dando summam mercatori, & recipiendo aliquid ultra sortem, comprehenduntur hi tres contractus; sicuti in paucis lineis literarum Cambialium comprehenduntur plures contractus inter eos, qui negotii hujus peritiam habent.

Non potest improbari.

§. 291. Pro licentia hujus contractus Trini afferri possunt hæc argumenta, quod ista conventio triplicem Contractum involvens I. Nec sub-

substantiæ singulorum horum contractuum; II. Nec æquitati naturali; III Nec Legibus positivis adversetur, sed potius IV. Rationi, V. Sacris Canonibus, VI. Legibus Civilibus, VII. Decisionibus Tribunalium, VIII. & communi timoratorum praxi, a Viris doctissimis comprobatæ, sit conformis. Potissima difficultas opponi solita est, quod pecuniam conferens in societatem, partem lucri exigat, periculo pecuniarum existente penes recipientem Facile admitto, talem contractum fore injustum, & accedere ad Societatem Leoninam, nisi hæc inæqualitas aliunde compensetur: in proposito autem casu abundans fit compensatio, dum præter sortem salvam, exigitur modica pars lucri, reliquo toto lucro relicto illi, qui pecunias recepit 23.).

§. 292. Inter Contractus, per quos pecunia collocari potest ad lucrum, magnum nomen & usum obtinet *Contractus Censualis*, quo convenitur de *Censu*, id est annuo reditu ex re frugifera præstando. Census *Reservati-* *Contractus Censualis*

23.) De hoc contractu trino agitur in Rigor. Moder. Dissert. III. C. 2. sect. 6.

vus dicitur, quando plenum rei dominium transfertur in Censuarium, reservata solum pensione annuatim solvenda: Census *Constitutus*, seu *Consignativus* vocatur, quando dominus rei, retento dominio, concedit alteri jus percipiendi ex ea annuam pensionem, præsertim *dato pretio*, ut habeatur ratio emptionis. Hic census vel est *Realis*, constitutus in certa re frugifera, cujus solvendi obligatio transit ad quemcunque possessorem hujus agri: vel *Personalis*, constitutus in certa persona, obligata ad solvendum annuum reditum ex industria, arte, opificio, aut juribus personalibus, cum quibus etiam potest transire ad hæredes: vel *Mixtus*, constitutus super re, & super persona. Præterea dividitur in *Pecuniarium*, qui in pecunia numerata; & in *Fructuarium*, qui in fructibus solvendus est; vel in quantitate *certa* & stabili, vel in quantitate *incerta* pro quantitate fructuum perceptorum, solvendo forte quartam partem. Census alius dicitur *Perpetuus*, qui transit ad hæredes Creditoris & Debitoris; alius *temporalis*, qui finitur tempore certo vel incerto, & vocatur

Vita-

Vitalitius, si constituatur ad vitam creditoris. Census perpetuus dividitur in *Redimibilem*, qui ex pacto convento, etiam invita altera parte, redimi potest, & in *Irredimibilem*, qui altero invito tolli non potest. *Redimibilis* est vel *ex parte solius debitoris*, si liceat restituto pretio se liberare ab obligatione solvendi census: vel *ex parte solius Creditoris*, si iste possit, censu resignato repetere pretium: vel *ex parte utriusque*, si tam debitor, restituto pretio a censu liberari, quam creditor resignato censu pretium possit repetere.

Redimibilis vel Irredimibilis

§ 293. Si communem praxin Germaniæ observemus, pretium, quo Census vel pecuniarius vel fructuarius emitur, in Constitutionibus Imperii statuitur, æquivalens usuris quincuncibus, ita ut centum florenorum pretio ematur Census florenorum quinque annuatim solvendorum. Loquuntur quidem hæ Constitutiones solum de Censibus, qui sunt *redimibiles ex parte venditoris*: consuetudo autem passim invexit Census *utrinque redimibiles*. Eorum pretium in singulis Provinciis ex eadem consuetudine determinatur, sicut pre-

tium aliarum mercium. Id certum est, Constitutiones quasdam Pontificum, præsertim Pii V. circa Census, in Germania summam habere venerationem, in quantum eæ continent doctrinas Juris Naturalis & Divini circa usuras; sed receptas non esse quoad aliquos articulos indifferentes, prout in ipsa Italia non *observari* scimus. Major difficultas est determinandi justum pretium Census Vitalitii, qui comparatur ad vitam unius vel plurium. Nam ob humanæ vitæ inconstantiam incertum omnino est, ad quot annos obligatio solvendi Censum sit extendenda. Plurimum dependet ex arbitrio prudentis viri & communi usu 24.).

Licite fit in Germania.

§ 294. Si Contractum Censualem æstimemus juxta naturam Emptionis Venditionis, erit quidem utrinque irredimibilis: sed tamen non repugnat pactum, vi cujus venditor Census, resti-

24.) Covarruv. lib. 3. resolut. c. 9. n. 7. Joan. Gutierrez Can. quæst. l. 1. c. 39. n. 64. & 65. Andr. Gail. lib. 1. observ. 8. Frider. Martini de Jure Censuum c. 5 n. 158. seqq. Carol. Molinæus Tract. Commerciorum. quæst. 62. n. 414. Joan. Medina de Usur. quæst. 14.

restituto pretio se liberare possit ab obligatione præstandi Censum 25.): sicut etiam contractui cujuslibet Emptionis adjici potest pactum de retrovendendo. Quo minus Contractus Censualis sit redimibilis ex parte Emptoris, obstare quidem videntur Constitutiones Imperii, quæ tamen quoad hoc punctum nunquam fuerunt in usum deductæ: Constitutiones Pontificiæ, quæ circa hunc articulum Jus Naturale aut Divinum non continent, consequenter extra territorium temporale & Politicum Papæ se non extendunt, nuspiam in Germania receptæ inveniuntur. Nisi igitur singularia Provinciarum statuta obstent, possunt iniri Contractus Censuales irredimibiles, aut redimibiles, & hi quidem ex parte Emptoris, vel venditoris, vel utriusque: quod enim in contractu utrinque oneroso, uni parti justum est, etiam alteri justum esse censetur. Certe in hac re nullum est Usuræ periculum. Id solum cavendum, ne violetur justitia; pacta enim, quæ in favorem vel onus contra-

25.) Extrav. 1. & 2. de Empt. & Vend. inter com.

trahentium imponuntur, augent vel minuunt pretium, quod poteſt eſſe varium ſecundum temporis & loci qualitatem 26.).

Contractus Germanicus aliquando fuit damnatus.

§. 295. Diſceptatum aliquando fuerat de Contractu paſſim in Germania uſitato, quo exiguntur quinque annua pro centum. Ex Bavaria miſſus eſt Caſus Romam, & a GREGORIO XIII. declaratus uſurarius, quando datur pecunia *cujusvis conditionis homini*, qui reddat ſingulis annis quinque pro centum, & poſtea totam ſummam capitalem. Addit tamen clauſulam Pontifex, ſi in Germania aliquis ſit contractus, in quo quinque pro centum accipiuntur, aliis modo & forma celebratus, ſe talem damnare aut prohibere non intendere &c. Theologi Romani, quorum judicium de caſu propoſito Pontifex requirebat, conſiderabant præcipue contractus ex Bavaria miſſi formulam de pecunia *cujusvis conditionis homini* præbita: ſi enim datur pecunia homini, qui neque cenſus annuos poſſi-

26.) Vid. FELICIANUS DE SOLIS de Cenſibus. VELASQUEZ DE AVENDANNO de Cenſibus Hiſpaniæ c. 101. ſeqq. & alii paulo antea allegati.

possidet, neque negotiationem exercet, non apparet, quis alius contractus cum eo possit celebrari, quam contractus Mutui: unde quinque annua non aliam possent habere rationem, quam usuræ vetitæ. Si autem talis contractus iniretur cum mercatore, cum persona magnæ industriæ, vel cum possessore bonorum fructiferorum, posset saltem implicite talis contractus reduci ad censum utrinque redimibilem, vel ad societatem; ad cujus distinctionis normam editæ sunt postea in Bavaria certæ contrahendi formulæ, juxta quas non obstante Decisione Romana potest iniri contractus censualis realis ex bonis immobilibus, etiam utrinque redimibilis; vel contractus Societatis cum pacto Assecurationis & lucri minoris certi apud eos, qui bonis immobilibus carent, modo lucrosam exerceant negotiationem, opificium &c. 27.).

Præsumitur

27.) Hanc fuisse mentem Aulæ Romanæ de Casus illuc missi formula, desumo ex scriptis sententiis non tantum authenticis, sed etiam autographis Theologorum, ad quorum mentem Pontifex rescripsit in Bavariam. Vid. P. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 24. de Contract.

sumitur autem talis mercator exercere lucrosam negotiationem; evidens enim fatuitatis signum foret, si Mercator alienam pecuniam domi relinqueret otiosam, & tamen de illa solveret lucrum alteri, prout judicat Joan. Dom. Gaitus 28.).

Non lædit Justitiam, nec Caritatem.

§. 296. Hic contractus Germanicus non lædit *Justitiam*, cum servet æqualitatem inter summam capitalem centum, & jus ad annua quatuor vel quinque. Contractus Mutui ex sua natura tendit ad recuperationem summæ capitalis: unde hac recuperata obtinetur æqualitas in Mutuo. Contractus Germanicus autem directe tendit ad comparandum censum annuum: pactum adjectum, quo contractus fit utrinque redimibilis, est mere accidentale, obligans ad novum contractum, quo prior rescindatur, sicuti licitum est rescindere alios contractus. Nec læditur *Caritas*, quæ metienda est ex facultate propria, & ne-

---

punct. 2. cujus bona fides defenditur in Rigor. Moder. Dissert. 3. c. 2. sect. & §. 263. lit. a.

28.) Tract. de Credito C. 2. Tit. 7. quæst. 5. n. 1959.

necessitate aliena. Si igitur alter habet annuos fructus, quos vendat, aut negotiationem lucrosam, cujus me participem possit facere; Caritas me non obligat, ut gratis concedam pecunias; sicut pistor non tenetur dare panes gratis famelico, qui habet, unde emat. Non obstare Leges nostrorum Principum, nec sequi exinde damnum Reipublicæ, facile potest demonstrari ex quotidiana praxi. Si nomen hujus contractus investiges, deprehendes, illum proxime accedere ad *Emptionem Census utrinque redimibilis* 29).

§. 297. Abunde ex his constat, quinam pro Usurariis habendi sint. In hos Legibus Civilibus statuta est infamia 30.), annullatur contractus, & puniuntur quarta parte sortis; præcipue inculcatur Magistratibus vigil cura contra Judæos usurariam pravitatem exercentes 31.). Jure Canonico

Pœnæ Usurariorum.

29.) In Germania solet dici *Zins-Verschreibung.*

30.) L. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog.

31.) Reform. Polit. August. 1530. Tit. 26. 27. & ann. 1548. Tit. 17. seqq. item Francof. 1577. Tit. 17.

nico Usurarii fiunt infames, & eo ipso irregulares: si Clerici sint, suspendantur aut deponantur; si Laici, excommunicentur: negatur Absolutio Sacramentalis, nisi prius restitutis usuris, vel præstita cautione idonea de restituendo. Excluduntur a Sacra Communione: non accipiendæ sunt eorum oblationes: sunt intestabiles: mortui carent sepultura christiana: qui sepelire eos præsumunt, excommunicationis sententiæ subjacent; Ecclesiasticis etiam Censuris innodantur illi, qui tolerant manifestos Usurarios, qui domum illis locant &c. 32.).

TITU-

32.) C. 2. dist. 33. C. 11. de Excess. Prælat. C. 1. 2. 3. 5. 7. de Usur. C. 1. & 2. eod. in 6. Clement. 1. de Sepultur. De his & ejusmodi pœnis accurate agit Honoratus Leotardus de Usuris quæst. 100.

TITULUS XXIII.
DE FURTO.

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 18. & 24.

§. 298.

FURTUM dicitur *Contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve* 33.) Unde ad furtum proprie dictum requiritur I. Ut res actu aufferatur; nam sola cogitatio furti faciendi non facit furem pro foro externo; pro foro autem interno coram DEO furti reatum committit, qui furari intendit 34.). Qui fores effringit, furti faciendi gratia, potest utique puniri: furti tamen reus non est. II. Ut res sit corporalis & mobilis. III. Ut sit aliena, vel saltem alteri competat jus in ea, quale habet creditor in pignore. IV. Contrectatio debet esse fraululenta, & lucri faciendi gratia. Is qui depositum abnegat,

Furti definitio.

33.) L. 1. §. 3. ff. de Furt. §. 1. Inst. de Oblig. quæ ex delict. nasc.

34.) *Si propterea non facis furtum, quia times, ne videaris, intus feci*sti, *in corde feci*sti: *furti teneris, & nihil tuli*sti. C. 29. dist. 1. de Pœnit.

non ſtatim furti tenetur; ſed ita, ſi intercipiendi cauſa occultaverit. V. Ut dominus rei ſit rationabiliter invitus 35.): invitus non præſumitur, qui videt rem ſuam contrectari ab alio, & non contradicit, cum nulla ratio ipſum prohibeat, quo minus contradicat. Rationabiliter autem invitus non poteſt eſſe debitor, ſi creditor utatur compenſatione occulta, ſervatis debitis conditionibus 36): aut ſi quis in ſumma neceſſitate tantum auferat, quantum exigit neceſſitas.

Quis de furto teneatur?

§. 299. Furti tenetur, qui mandato, conſilio vel auxilio furti cauſa eſt: item qui furem cum re furtiva ſcienter recipit & occultat 37.). Qui rem jacentem invenit, ignorans cujus

35.) *Recte dictum eſt, qui putavit ſe domini voluntate rem attingere, non eſſe furem.* L. 46. §. 7. ff. de furt.

36.) De quibus conditionibus dictum de Jur. Rer. Eccleſ. ſect. 4. tit. 23. de Solution. §. 620.

37.) *Qui furem novit, ſive indicet eum, ſive non indicet, fur non eſt: cum multum interſit, furem quis celet, an non indicet: qui novit, furti non tenetur: qui celat, hoc ipſo tenetur.* L. 48. §. 1. ff. de furt.

jus sit, tenetur de rei domino sufficienter indagare: qui hanc indagationem omittit, & rem retinet, furti tenetur 38.).

§. 300. Furtum dividitur I. in *simp- Furti di-*
lex & qualificatum, quod fit cum effra- *visio.*
ctione violenta ædium, cubiculi, cistæ, vel seditiose cum armis, aut inter minas majoris mali. II. In *Parvum* & *Magnum*, quod in ordine ad pœnas publicas æstimationem quinque solidorum, seu juxta sensum harum Provinciarum, quinque Ducatorum, aut viginti florenorum æquat: æstimatur autem sola res ablata, non annumeratis aliis expensis domini. III. In *Primum* & *iteratum*. IV. In *diurnum* & *nocturnum*. V. *Sacrilegum* & *Profanum*. VI. *Domesticum* & *Extraneum*. VII. *Manifestum* & *nec manifestum*, quæ tamen divisio hodie non habet usum.

38.) Sic intelligitur C. 6. XIV. q. 5. *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti: quantum potuiſti, feciſti.* Et C. 8. *Multi ſine peccato putant eſſe, ſi alienum, quod invenerint, teneant: & dicunt, Deus mihi dedit, cui habeo reddere? diſcant ergo, peccatum hoc eſſe ſimile rapinæ, ſi quis inventa non reddat.*

Actiones ex furto.

§. 301. Furtum hodie est crimen publicum, publica pœna vindicandum. Dantur autem ex furto actiones duplicis generis: aliquæ sunt rei persecutoriæ, ut *Rei vindicatio* competens domino rei furto ablatæ contra quemcunque detentorem; & *Condictio furtiva*, qua petitur vel res ipsa furto sublata, vel interesse, si res non extet: datur hæc contra hæredes, etsi nihil ad eos pervenerit, etiam fure suspenso 39.). Rem furtivam non potest sibi vindicare Fiscus, aut Magistratus, si certus sit dominus non obstante abusu contrario quorundam locorum. Aliæ actiones sunt persecutoriæ pœnæ, uti *actio furti* ad duplum vel quadruplum, quæ in plerisque locis in desuetudinem abiit: & *Accusatio Criminalis* ad pœnas publicas a Jure statutas. Actio furti, quæ est famosa, non instituitur contra uxorem, filios &c, sed actio rerum amotarum: contra domesticos, famulos &c. etiam criminaliter proceditur.

§. 302.

39.) Propositionem hanc contra Carpzovium optime defendit Clariss. D. Collega SUTOR Elect. jur. & for. Concl. 73.

§. 302. Pœna criminalis furti magni hodie est laqueus 40.). Quidam hanc pœnam iniquitatis arguunt, cum nulla sit comparatio quinque solidorum cum vita hominis. Verum ut vitium hoc e Republica tollatur non ad res furto ablatas, quas actione civili dominus vindicat, sed ad ipsum delictum adversus leges Reipublicæ commissum, in pœnæ capitalis inflictione habetur respectus. Tanta enim ad hoc crimen deprehenditur, subditorum pronitas, ut etiam pœna capitali absterreri non possint. Crescentibus igitur delictis, crescunt etiam pœnæ 41.). Furta minora puniuntur arbitrarie, sive sit primum, sive secundum, modo utrumque non constituat summam gravem. Tertium aut sæpius reiteratum furtum, etsi summa sit modica, in multis locis punitur morte, accedentibus præsertim circumstantiis aggravantibus, & in Bavaria quidem, modo omnia *Pœnæ furum.*

40.) Ex Constit. Fridbrici I. lib. 2. feud. c. 27. §. 8. & Caroli V. in Constit. Crimin. art. 160. seqq.

41.) Oldenburger de quatuor Elementis. Tit. 4. de Jure circa aerem §. 19. fol. 464. seqq.

tria furta ascendant ultra triginta crucigeros, etiam si quis ob primum ac secundum furtum non sit correctus, ubi obiter notandum, non pro tertium repetito, sed quoad pœnam pro uno tantum furto haberi, si quis in diversis quidem, sed tamen ejusdem pagi aut civitatis ædibus, eadem nocte tria furta committat 42). Si plures sint socii, omnes sumuntur pro una persona, nec ad pœnam mortis opus est, ut singuli acceperint viginti florenos. Si furta sint periculosa, armata manu, vel facta per conjuratam furum cohortem, mox prima vice puniuntur morte, non attenta summa furto ablata. Fures quatuordecim annis juniores non solent morte, aliis tamen pœnis corporalibus castigari, nisi malitia suppleat ætatem, & iterata furta periculosis circumstantiis graventur, quo casu posset talis puer requisito prius judicio Jurisperitorum, morte puniri 43). Qui pisces, cancros &c. ex locis clausis surripiunt, æquiparantur aliis furibus:

42.) Vide Böhmer tom. 2. part. 2. Resp. 1069. n. 8. Schweser de Proceff. Crim. sect. 2. c. 13. §. 182.

43.) Conft. Crim. Art. 164.

ribus: fures tamen lignorum, frumenti in publico campo, frugum ex arboribus, volucrum non clausarum, mitiori pœna afficiuntur. Mitigari etiam solet pœna, si res furto ablata mox sponte restituatur domino, antequam moveatur actio. De furtis sacrilegis alibi dictum Tit. XXI.

§. 303 Sicut in multis aliis, ita etiam in eo ab antiquorum Imperatorum moribus recessum est, ut Principes Jus venandi, vi Superioritatis territorialis, hodie suis Regalibus annumerent, ita ut in multis locis nemo alius, nisi qui jus istud ex speciali concessione, vel alio legitimo titulo obtinuerit, venari licite possit. Unde in plerisque Provinciis peculiaria Statuta conduntur, quibus severe prohibentur venationes, præsertim in silvis propriis Principis, vel banno ferino munitis 44.). In ejusmodi Statutis clancularii venatores passim vocantur *fures* ferarum (Wild-Diebe): unde quæstio oritur, an ve-

Per venationem prohibitam

44.) Talis prohibitio jam habetur in Pacto Legis Salicæ Tit. 36. Recentiora Edicta contra venationes collegerunt Fritschius & Struckius.

natores clancularii contra prohibitionem ſternentes feram, ſint vere fures, & feræ dominium non obtineant?

Non acquiri dominium feræ, cenſent aliqui:

§. 304. Si ex jure communi vulgarem ſequamur ſenſum vocum, proprie fures dici non poterunt, occupando feras in nulla cuſtodia detentas, ſed naturali ſua libertate gaudentes. Nam *feræ beſtiæ, & volucres, & piſces, & omnia animalia, quæ mari, cælo & terra naſcuntur, ſimul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium ſtatim illius eſſe incipiunt: quod enim ante nullius eſt, id naturali ratione occupanti conceditur* 45.). Cenſent aliqui, res in nullius privati dominio exiſtentes, eſſe in Principis ſaltem incompleto dominio, quamdiu res ea eſt in naturali ſua libertate, & facile tranſeundo in aliud territorium, conſtitui poteſt in dominio alterius. Si vero in hoc territorio fera ſternatur, ut effugere amplius extra territorium non poſſit, eo ipſo putant, tranſire hanc feram in dominium completum & perfectum hujus Principis, in cujus territorio ſternitur. Nam dicunt, non qualibet occupatione acquiri rerum domi-

45.) §. 12. Inſt. de Rer. Diviſ.

dominium, sed necessarium esse titulum, seu legem, ex qua moralitas, seu non repugnantia occupationis cum recta ratione concipitur: occupationem igitur absque titulo nullam esse; sine hoc enim res occupabilis non est. Inde concludunt, rerum occupari prohibitarum nullam esse occupationem, nullam dominii acquisitionem; sed potius res ab uno tantum, vel paucis occupabiles, ab alio occupatas ejus fieri, qui eas occupandi privative jure gaudet.

§. 305. Hæc, aliaque similia ratiocinia, non prorsus solida esse videntur. Nam difficile creditu est, Principes nostros, dum jus venandi sibi solis reservant, velle immutare conceptum Dominii, ab omnibus retro seculis ubique receptum, & usu firmatum. Stante ubique recepta Idea *Dominii*, posse prohiberi venationes, juri etiam communi non adversatur, ex cujus mente, *qui alienum fundum ingreditur venandi aut aucupandi gratia, potest a domino prohiberi, ne ingrediatur*: nihilominus non obstante prohibitione, *quicquid eorum ceperis, eo usque tuum esse intelligitur,* *Convenientius alii concedunt dominium.*

donec tua custodia coercetur 46.). Justissimæ aliæ possunt esse rationes prohibendi subditis venationes, non quidem ratione dominii, quod habet Princeps in feras; sed ex aliis motivis, quæ plerumque in Edictis prohibitoriis allegari solent 47.), modo viciſſim domini territoriales caveant, ne ex ferarum multitudine damnum agris subditorum immineat, ac ne domini silvarum ad fovendas feras impediantur a legitimo usufructu fundi sui. Nemo exigit, ut Principes nostri imitentur exemplum Valentiniani Imperatoris, de quo S. Ambrosius narrat his verbis 48): *ajebant aliqui, ferarum eum venationibus*

46.) Ibid.

47.) Inter alias posset etiam esse ratio prohibendi, quod per nimiam ferarum stragem, jus venationis reddatur notabiliter deterius, & magna Principis utilitas intervertatur. P. Ignatius Schwarz in Effigie Historiæ Bavaræ Stat. 1. fol. 8. ex Ertelio in Relat. curios. Bav. refert, quod sola aprorum venatio Maximiliani I. Electoris Bavari ærario ultra ducenta florenorum millia quot annis intulerit.

48.) Conc. in obitu Valentiniani tom. 5. fol. 107.

lus occupari, atque ab actibus publicis intentionem ejus abduci : omnes feras uno momento jussit interfici. Illæsum, inviolatumque subsistit Principi jus venandi, & venationes subditis prohibendi, etiamsi immutatus subsistat conceptus dominii in feras, ex jure communi ubique receptus.

§. 306. Quando Leges justæ contra venationes clancularias promulgatæ sunt, oportet omnino, ut immodicus venandi pruritus pœnis coerceatur, & autoritas Legislatoris contra temerarios violatores defendatur. Communissima & levissima pœna est, ut ejusmodi venatoribus aufferantur feræ occupatæ. Circa alias pœnas discrimen fit inter venatores ob unum aut alterum actum prima vice ad Judicem delatos ; & inter alios jam famosos ex frequentatis actibus, vel sententia Judicis infames; & demum inter eos, qui etiam legitimis venatoribus insidias vitæ struunt, & ideo variis artibus vultum, habitumque immutant, ne agnoscantur. Graviores, etiam mortis pœnas in hos ultimos statui videmus : alias satis graves, relegationis, damnationis ad opus publicum &c. in omnes, qui *Pœnæ venationis prohibitæ.*

qui prohibitas venationes exercent, decerni experimur 49.). Unde ex hoc etiam capite graviter ejusmodi venatores delinquunt, quod se & familiam suam ex venandi pruritu gravissimis damnis exponant. Variæ, præsertim pecuniariæ pœnæ infliguntur iis, qui ejusmodi venationes fovent, custodiendo arma & Instrumenta venandi apud se deposita, occultando, vendendo, vel emendo feras contra prohibitionem stratas. Quæ de feris terrestribus dicta sunt, intelliguntur etiam de Volucribus nobilioribus, Phasianis & aliis, quibus alendis & conservandis singularis cura impensis Principis adhibetur 50.).

§. 307.

49.) Abstineo a recensendis aliquibus pœnis, quæ probabiliter nunquam executioni datæ sunt.

50.) Vid. Ill. D. Baro De Ickstatt Opusc. VIII. de eo, quod jure naturali circa venationes juris est. Et opusc. IX. de eo, quod Jure publico circa venationes juris est. Joan. Petrus de Ludewig de Differentiis Juris Romani & Germanici in Venatu &c. D. Ulrich, de Feudo Venationis. Autorum, Edictorum, & jurium ex hoc Regali competentium longam seriem sistit

§. 307. Huc opportune refertur Rubrica Decretalium *de Clerico Venatore.* Clericos Germanos & Gallos venationi deditos esse, jam pridem observavit NICOLAUS PAPA 51.). Unde in Capitulari I. Carolomanni 52.): *illas venationes & silvaticas vagationes cum canibus, omnibus servis Dei interdicimus: similiter ut accipitres & falcones non habeant.* Occasionem Clericis & Monachis dederunt Bona collata in Ecclesias & Monasteria cum silvis, aquis & latifundiis &c. silvarum autem communis reditus erat venatio, ex

Qua ratione competat Clericis Jus venandi,

PFEFFINGERUS ad Vitriar. lib. 3. tit. 18. fol. 1360. seqq. Id solum observo, jus venandi simplex, quod privatorum silvis fundisque semper cohæsit, ex recentiorum quorundam Jure-Consultorum affectatis principiis male confundi cum banno ferino, quod semper regii juris fuit, & hodie inter Regalia Principis optime recensetur.

51.) C. 1. dist. 34. cui consonat c. 2. & 3. ibid.

52.) Ann. 742. c. 2. Idem habetur Capitular. lib. 7. c. 125. PIPPINUS Capitular. Suession. ann. 744. c. 3. *Clerici non habeant canes, ut venationes faciant, nec accipitres portent.* Idem Capitul. I. CAROLI M. anno 769. c. 3. & Capit. I. anno 802. c. 19.

ex jure proprietatis dependens. Plurima Diplomata expressam faciunt mentionem *Venationum*, ut videre est apud collectores Diplomatum. Unum alterumque exemplum nobis sufficiat. Apud SCHANNATUM 53.) S. HENRICUS Ecclesiæ Wormatiensi donat prædium Pipinesdorff *cum cunctis suis pertinentiis, hoc est, areis, ædificiis, servis & ancillis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, Venationibus &c.* Eadem fere formula idem Henricus apud MEICHELBECK 54.) Monasterio cuidam concedit prædium *cum omnibus pertinentiis .. silvis, venationibus .. piscationibus* &c. unde bene colligimus, in ejusmodi donationibus, quando dantur, vel permutantur prædia cum omnibus pertinentiis, intelligi plerumque hoc nomine etiam venationes.

§. 308.

53.) Histor. Episcop. Wormat. in Codice Probationum ad ann. 1004.

54.) Hist. Frising. tom. 1. part. 2. fol. 486. Similiter fol. 491. refertur aliqua permutatio bonorum, ubi GEBEHARDUS Episcopus Ratisbonensis, Ecclesiæ Frisingensi tradit aliqua bona, *cum ædificiis, silvis, venationibus omnibus ad locum prædictum pertinentibus.*

§. 308. Ut autem Ecclesiæ, Monasteria, & alii privati fundorum domini possent alios a libertate venandi prohibere, necessarium erat Bannum regium, quod etiam nominatim Reges sæpius concesserunt. Exemplo sit concessio S. HENRICI Imperatoris 55.), qui Burchardo Wormatiensi Episcopo concessit *Regium Bannum* in Forestu Forehahi nuncupato . . ut nulla de eo Forestu persona aliquam feram, vel bestiam ibi venari vel capere, aut insequi præsumat sine licentia Episcopi Burchardi &c. Vicissim autem sæpe Principes annua quædam emolumenta ex venationibus Ecclesiarum exigebant. Certe MATTHÆUS Dux Lotharingiæ exactiones venationis, quas juste vel injuste apud Mamonis villam habebat, Abbatibus & fratribus ejus loci libere concessit in perpetuum 56.). *Et prohibendi alios?*

§ 309 Fatendum plane est, placidam venationem non omnino de- *Quæ venationes prohibitæ sint Clericis,*

decere

55.) Apud SCHANNAT Hist. Eccles. Wormat. in Cod. Probat. ad ann. 1002.

56.) Histor. Trevir. Diplom. tom. I. fol. 571. Plura exempla vid. apud DU CANGE Glossar. verb. *Venationes.*

decere Clericos, nisi nimio venandi studio impediantur ab exercitio functionum suarum, vel immodico strepitu & pompa modestiam Clericalem violent. Unde gravis prohibitio Concilii Moguntini 57.), ne Clerici & Monachi canes & aves sequantur ad venandum, immiscetur iis actibus, qui etiam Laicos dedecent, claro argumento, venationem prohiberi, quando propter graves abusus statum Clericalem dedecent, sicut alii actus ibidem reprehensi. Singulari tamen ratione interdicuntur Clericis venationes tempore quadragesimali, ne dies pœnitentiæ destinati, relaxationi animi & recreationi impendantur, & feræ sternantur eo tempore, quo earum carnibus vesci non licet 58.)

57.) Quod refertur in C. 1. Ne Cler. vel Monachi &c.

58.) S. Ambros. serm. in Domin. 3. quadrages. relatus in C. 13. dist. 86. Nicolaus I. ad Consult. Bulgar. c. 44. apud Harduin. tom. V. Concil. col. 369. Carolus M. confirmat donationem Patris sui Pippini Monasterio cuidam factam de portione silvæ Aquilinæ cum venatione cervorum & capreolorum, ex quorum coriis libros ipsius sacri loci cooperiant, & infirmorum fra-

licet 58.) : eo enim potissimum fine venationes ab Ecclesiasticis fieri deberent, ut Ecclesia percipiat emolumenta per jus venandi competentia. Si qui excessus contingant, pœnæ erunt arbitrariæ. Si autem Clerici venentur in silva aliena, invito ejusdem domino, ægre ferre non debent, si venatores ordinarios eorum nemorum parum civiles erga se experiantur, & instrumentis venatoriis spolientur.

§. 310. Sereniſſimus HENRICUS Cardinalis Eboracenſis anno 1763. celebravit ſynodum Eccleſiæ Tuſculanæ, ubi inter Conſtitutiones Synodales 59.) recenſet cauſas, propter quas tumultuoſum venationis genus Sacri Canones Clericis interdixere, his verbis : „ prima eſt frequens, „ quod in hujusmodi venationibus „ occurrit, perpetrandi homicidii, „ adeoque incurrendæ irregularitatis „ periculum. Secunda eſt propriæ *Et ex quibus cauſis?*

trum corpora ad tempus reficiantur. Nam Monachi extra articulum infirmitatis a carne abſtinebant. Eckart de Reb. Franc. Orient. lib. 24. n. 149. tom. I. 59.) Part. 2. cap. 6. art. 11. fol. 422.

„ vitæ discrimen, quod Clerico Ve-
„ natori vel a feris, vel ab aliis ve-
„ natoribus imminet. Tertia est,
„ quia propter clamorem, ac tumul-
„ tum venatio hujusmodi plurimum
„ Clericalem modestiam dissolvit &
„ dehonestat, & ob tubarum clan-
„ gorem, strepitumque hominum,
„ ac belluarum, & immitem sangui-
„ nis ferarum effusionem, quandam
„ belli speciem præsefert, & asperi-
„ tatem quandam, ac truculentiam
„ in venatorum animis excitat, quæ
„ Ecclesiasticæ lenitati omnino ad-
„ versatur. Quarta est, quia Cleri-
„ ci his venationibus addicti, divina
„ negligunt officia, aliaque Eccle-
„ siastica munia, quæ obeunda ab
„ iisdem essent, obire recusant.
„ Quinta demum est, quia Eccleſia-
„ stici proventus in pauperes, alios-
„ ve pios usus a Clericis erogandi,
„ in rebus ad venationem hujusmo-
„ di necessariis comparandis, conser-
„ vandisque facile dissipantur: qua-
„ re locum hic habet justissima illa
„ Christi admonitio: *Non est bonum*
„ *sumere panem filiorum, & dare*
canibus.

TITU-

TITULUS XXIV.
DE RAPINA.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 17.

§. 311.

RAPINA apud Romanos æquo passu cum furto inter crimina privata censebatur. Apud veteres Germanos ex furto contrahebatur infamia, ex Rapina vero gloria, vigente bellorum privatorum insania. Pacis profanæ Constitutiones etiam Rapinæ abusum suppresserunt 60.) Rapina distinguitur a furto per vim, dicitur enim, *injusta ablatio rei alienæ mobilis aut se moventis, per vim facta, lucri faciendi causa.* De Raptu personarum matrimonii ineundi causa, dictum est de Jur. Rer. Eccl. Sect. II. §. 339. si libidinis causa id fiat, pertinet ad crimina contra castitatem inferius enumeranda. *Plagium* committunt, qui furantur homines liberos vel servos, eosque vendunt, vel iis persuadent, ut a parentibus, vel dominis suis aufugiant. Hoc loco agendum de Rapina rerum, facta sine occisione, ut distinguatur a latrocinio. Si fiat insidiosa aggressio in viis pub-

Rapinæ definitio.

60.) Vetera Monumenta allegat LEYSERUS Specim. 539

publicis, dicitur *Prædatio*, vel *Roboria.*

Ejus malitia desumitur ex violatione securitatis publicæ.

§. 312. Violenta ablatio *rei propriæ* non quidem est Rapina, prohibita tamen, ne per vim illatam turbetur tranquillitas publica. Unde in Rapina rei alienæ non attenditur quantitas vel qualitas rei ablatæ, sed violatio securitatis publicæ. Hæc autem violatur non tantum per ipsam vim adhibitam, sed etiam per metum illatum, si quis paratum se ostendat ad vim inferendam resistenti, sive armis, sive sine armis id fiat: punitur igitur ut raptor, qui jam iterum restituit rem domino: & in hoc differt etiam a furto. Vicissim qui rem aufert hosti in bello justo, vel legitimi Magistratus autoritate, vel in extrema necessitate, non dicitur rapinam committere, quia ablatio non est injusta.

Actiones & pœnæ contra Raptores.

§. 313. Ex rapina datur actio *Civilis, Vi bonorum raptorum* ad restituendum quadruplum, cui simplum inest 61).

Dominus

61.) Tot. Tit. ff. & C. Vi bonorum raptorum. Hanc Actionem, quæ tamen hodie intentari non solet, accurate explicat JUSTINIANUS Inst. De vi bon-

Dominus territorii, si concedat cuidam iter agenti salvum conductum, & iste incedat via regia, tenetur resarcire damnum a prædonibus in via illatum 62.): secus siquis salvum conductum non petierit, aut a regia via deflexerit. *Criminalis* pœna per Constitutionem Carolinam 63.) tendit ad mortem, amputatione capitis, exasperanda tamen pro diversitate circumstantiarum & consuetudine locorum. Tales circumstantiæ sunt, si deprædatio fiat in viis publicis, si cum armata turba, si spoliandi manibus pedibusque ligentur, verberibus, vel vulneribus afficiantur &c. Exasperatio pœnæ fieri solet, ut Membra frangantur rota, vel saltem corpus post decollationem imponatur rotæ, aut caput affixum palo in publica via exponatur. Qui adjuvant prædones & prædæ participes sunt, eisdem fere pœnis plectuntur. Censent tamen multi, unicam & primam rapinam non esse morte plectendam: nam Carolina Constitutio

rum rapt. & Commentatores in eundem titulum.

62.) Rec. Imp. ann. 1559. §. 34.

63.) Art. 126.

se refert ad Jus commune, ex cujus dispositione, *Grassatores, qui prædæ causa id faciunt, proximi latronibus habentur, & si cum ferro aggredi, & spoliare instituerunt, capite puniuntur, atque si sæpius, atque in itineribus hoc admiserunt; ceteri in metallum dantur, vel in insulas relegantur* 64.). Crimen fractæ Pacis publicæ, etiam semel admissum, punitur morte: istud tamen requirit vim armatam, coactis & coadunatis hominibus 65.), quod in Rapina plerumque non contingit Ut quis dicatur Grassator viarum ad effectum privationis Asyli, sufficit quidem unicus actus, si grassati mors aut mutilatio secuta sit: hac non secuta, relinquit Pontifex denominationem Grassatoris, aut Prædonis dispositioni juris communis, quod ad pœnam mortis videtur requirere actus iteratos 66.).

§. 314.

64.) L. 28. §. 10. ff. de Pœnis.

65.) Andr. Gail de Pace publ. lib. 1. c. 7.

66.) Ita tenent duo Clarissimi Professores Ingolstadienses, Joan. Petrus Schiltenberger in Quæst. Illustr. q. 13. & D. Joan. Paul. Sutor in Elect. Jur. & for. concl. 24. contra Carpzov. pract. crim. part. 2. q. 90. n. 22. seqq.

§. 314. Jure Ecclesiastico pœna Rapinæ est Excommunicatio infligenda ab Episcopo loci, ubi rapina est perpetrata 67). Satisfactione præstita Raptores ad pœnitentiam & Sepulturam sacram admittuntur: secus si restitutio, vel idonea cautio non fiat. Grassatores viarum non gaudere Asylo, jam alibi notatum est. Qui christianos naufragium passos, rebus suis spoliant, ipso facto incurrunt Excommunicationem 68.) & quidem reservatam Summo Pontifici 69.) *Pœnæ Jupiris Ecclesiastici.*

§. 315. Quæstio hodie inter aliquos agitatur, an Bona tempore Lutheri & annis sequentibus usque ad Pacem Westphalicam, Ecclesiis aut Monasteriis vi & bello, per eadem tempora in tota Germania exorto, erepta, Rapinæ nomen mereantur, & restitui debeant, si ad Catholicum possessorem redeant? si de rebus mobilibus moveretur dubium, incideremus in quæstionem, quæ non habet exitum. Igitur de immobilibus præcipue quæritur: hæc autem etiam a Catholico possessore non posse retineri salva con- *Bona olim Ecclesiis erepta, non possunt hodie restitui a Catholico possessore.*

67.) C. 1. de Raptor.
68.) C. 3. ibid.
69.) Bulla Cœnæ Cas. 4.

ſcientia, ex Catholicis principiis certum eſſe videtur. Si loquamur de iis, qui vi Pacis Weſtphalicæ ejusmodi bona obtinuerunt; habent iſti exinde poſſeſſionem *facti*, nullo autem firmantur jure, præſertim in Foro Canonico, aut in conſcientia. Si ſermo ſit de iis, in quos bona ejusmodi transferuntur per aliam poſteriorem conventionem, manet firma concluſio, quod per vim injuſtam extorta, nunquam tranſeant in dominium extorquentis: conſequenter etiam ab hoc non poſſit dominium transferri in alium. Poſſent talia bona ab emptore Catholico ad ſe trahi ex intentione, ut, ſicut in negotiorum geſtione fieri ſolet, priori domino reſtituantur recepto pretio, quod plerumque levius ſolet eſſe 70).

Tl-

70.) Vid. Benedicti XIV Bullar. tom. 3. Conſt. 57 Alphonsus Vilagutius de rebus Eccleſiæ non rite alienatis, recuperandis &c. Biga Diſcuſſionum, Diſſ. 2. & ibi citati, contra D. Strauss, qui defendit, bona Eccleſiarum per Pacem Weſtphalicam ſeculariſata, non debere reſtitui a poſſeſſore Catholico, quæ Diſſertatio, ſicuti Approbationem nullam nec Cenſoris, nec Facultatis præfefert, ita etiam approbationem Lectoris Catholici non obtinebit.

TITULUS XXV.
DE INCENDIARIIS.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 17.

§. 316.

Incendiariorum

IN Libris Decretalium sub eadem Rubrica agitur de Raptoribus & Incendiariis: unde priori Titulo de Rapina mox adjungimus Titulum de Incendiariis. Horum *pessimam & depopulatricem & horrendam malitiam* detestantur Sacri Canones 71.). Intelligitur hoc loco Delictum publicum, quo ædificiis, vel aliis rebus, contra securitatem publicam ignis subjicitur.

Pœnæ in foro seculari.

§. 317. Apud veteres Germanos pro Incendio doloso statuta erat mulcta pecuniaria 72.), per quam compensetur damnum. Constitutio Carolina 73.) dictat pœnam ignis, sive magnum, sive modicum damnum datum sit. Huic pœnæ subjacet, qui materiam igni concipiendo aptam in ædi-

71.) C. 32. XXIII. q. 8.

72.) Leg. Salic. tit. 19. Ripuariorum tit. 17. Frisionum tit. 7. Leges Saxonum tamen & Edictum Regis Theodorici pœnam capitalem statuunt.

73.) Art. 125.

bus depoſuit, & nocendi animo inflammavit, licet ipſæ ædes nondum ardere cæperint: item qui proprias ædes incendit eo fine, ut iisdem combuſtis, etiam vicinorum domus corriperentur, licet ignis mature fuerit extinctus. Ab ordinaria tamen pœna excuſat pœnitentia, ſi quis materiam a ſe poſitam removeat, antequam incendium erumpat 74.).

Et in foro Eccleſiaſtico.

§. 318. Sacri Canones 75.) ſe referunt ad Leges Longobardicas, quæ juxta morem illorum temporum jubent, ut impoſita mulcta pecuniaria, pretium accenſæ caſæ compenſetur iis, quorum intereſt 76.). Sic etiam ſtatuitur, *ſi egreſſus ignis comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet dammum, qui ignem ſuccenderit* 77.). Canon iſte deſumptus eſt ex veteri Teſtamento 78.), ubi legitur, ſi egreſſus ignis *invenerit ſpinas* &c. ſcilicet ſi quis negligentia ſua igni

a

74.) De pœna Juris communis veteris vid. MENOCHIUS de Arbitr. Judic. c. 390.
75.) C. 8. XII. q. 2.
76.) Leg. Longobard. lib. 1. tit. 17. leg. 1. quæ eſt Lex 19. ROTHARIS Regis.
77.) C. 5. de Injuriis.
78.) Exodi C. 22. v. 6.

a se excitato male advigilarit, nec caverit, ne proserperet, itaque factum, sit, ut ignis spinas, quæ segetem sepiebant, atque exinde ipsam segetem corripuerit, teneatur de damno 79.). Agitur proin hoc loco de Incendio culposo. De doloso autem mox subjungitur: *Si quis domum vel aream cujusquam incenderit voluntarie, sublata & incensa omnia restituat, & tres annos pœniteat* 80.). Si quis autem segetes malitiose incenderet, numeraretur inter depopulatores agrorum, qui ab Asylo Ecclesiastico excluduntur. Severius puniri merentur sacrilegi Ecclesiarum violatores: unde *si quis Ecclesiam igne combusserit, quindecim annis pœniteat, & eam sedulo restituat, & pretium suum pauperibus distribuat* 81.). Adverti meretur, in Canonibus non reperiri pœnam hujus delicti Clericis infligendam: forsan enim non sunt arbitrati conditores Canonum, aliquem Clericum in tantum scelus incursurum, absque ulla sui utilitate seu voluptate, ac magna aliorum jactura:

79.) Sic commentatur Cornelius a Lapide ad cit. loc.

80.) C. 6. de Injur.

ctura: ideo pœna erit arbitrio Judicis relinquenda, juxta doli, ac loci & damnorum qualitatem & quantitatem 82.).

Incendium præsumitur ortum ex culpa:

§. 319. Quæri solet, an incendio in ædibus conductis orto, de cujus autore non constat, damnum pertineat ad dominum ædium, vel ad conductorem. Incendia plerumque culpa inhabitantium fieri, præsumitur in Legibus 83.): non tamen continuo patremfamilias teneri, sed ad eum nihil pertinere, si diligentiam debitam adhibuerit, certum in jure est 84.). Ex hoc autem potest colligi, diligentiam a patrefamilias debere probari: præsumitur enim ejus culpa, nisi diligentiam probaverit. Videtur qui-

81.) C. 14. XVII. q. 4. Per pretium in hoc canone intelligitur Werigeldum, de quo sequenti titulo dicetur.

82.) Hæc verba sunt Bernardi Diaz pract. crim. c. 98. & ab Ignatio Lopez ponitur c. 109. ubi docet ex variis autoribus, Incendiarium loci sacri vel Monasterii ipso jure excommunicatum esse, excommunicandum autem, si locus non sit sacer.

83.) L. 3. §. 1. ff. de Offic. Præf. Vigil.

84.) L. 11. ff. de peric. & commod. rei vend.

quidem requiri, ut *certi hominis factum* arguamus 85.): hoc tamen solummodo locum habere existimatur in caupona publica, ubi sunt plures hospites & viatores, quorum culpa evenire incendium potest: pro his autem caupo non tenetur. In aliis vero occasionibus, non semper requiri culpam determinatæ personæ, desumi solet ex eo, quod lege Aquilia omnes, qui vulnerarunt, tenentur, licet non constet, a quo fuerit occisus 86.). Quamvis igitur non constet, cujus culpa ortum sit incendium, nihilominus potest præsumi culpa patrisfamilias, & hanc a legibus præsumi, patet ex eo, quia diligentiam suam probare debet: nam absolvitur, si diligentiam adhibuerit; hæc autem consistit in facto, quod debet probari.

§. 320. Ista tanti momenti non sunt, ut cogant recedere ab ea sententia, quam insinuavi alibi 87.), quod dominus ædium debeat probare, *Conductor tamen ædium non semper tenetur ex incendio.*

85.) L. 6. §. fin. ff. Nautæ, Caupon. Stabular. &c.
86.) L. 51. §. 1. ff. ad Leg. Aquil.
87.) De Jur. Rer. Eccl. sect. 4. §. 331. not. 84.

re, an culpa intervenerit saltem levis, & cui imputanda : posset enim incendium ortum esse ex culpa levissima, ad quam præstandam non tenetur conductor 88.). Notari tamen meretur consuetudo in his partibus passim recepta, ut dominus habitans in suis ædibus, in quibus oritur incendium, teneatur mulctam præstare Magistratui, nisi plane constet, illud fuisse casuale. Fit istud ad acuendam diligentiam ; præsumitur enim culpa, ex qua vicinis magnum periculum imminet. Si igitur in domo conducta incendium oriatur, conductor debebit eandem mulctam pendere, etsi non obligaretur ad damnum domino ædium compensandum. Notari etiam meretur consilium, quod MENOCHIUS 89.) aliquando in ejusmodi casu dedit Judici, ut iste statim exorto incendio jubeat comprehendi inhabitantes domum, & eos de autore incendii interroget : hac enim ratione facilius com-

88.) Ita sentit ANDR. GAIL lib. 2. observ. 21. contra FACHINÆUM Controv. lib. 1. c. 87. ubi in utramque partem Autores allegantur.

89.) Cit. c. 390.

comperietur veritas, si domestici tempus non habeant conferendi inter se consilia.

TITULUS XXVI.
DE HOMICIDIO SIMPLICI.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 12. *In Sext. Tit.* 4. *In Clement. Tit.* 4.

§. 321.

POSTQUAM egimus de Criminibus contra Justitiam circa bona temporalia; dicendum nunc est de Criminibus contra eandem virtutem circa vitam hominis. Varii Tituli utriusque Juris huc referuntur, qui vastissimam præbent materiam huic tractationi: pro instituto tamen præsentis opusculi in compendium sunt omnia redigenda. *Homicidium*

§. 322. Homicidium dicitur a cæde hominis, estque *violenta exanimatio hominis ab homine facta.* Dividitur in Necessarium, Dolosum, Culposum & Casuale. *Necessarium* est, quod vel a privato fit pro defensione contra aggressorem, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ; vel autoritate publica in bello justo tam offen- *Necessarium autoritate publica,*

offensivo, quam defensivo; vel in Judicio Criminali, quo scelerati Reipublicæ noxii adjudicantur morti.

Vel privata pro defensione vitæ:

§. 323. Necessarium a Privato fit ad defensionem vitæ propriæ, vel alienæ. Ad defensionem vitæ propriæ id licitum, passim non dubitatur, *cum omnes leges, omniaque jura vim vi repellere, cunctisque sese defendere permittant* 90.). Quod Canonistæ aliqui adeo universim intelligendum putant, ut Presbyter, si celebrando Missam fuerit ab aliquo armis insultatus, possit occidere aggressorem, & mox redire ad Altare, ut Officium peragat 91.).

§. 324.

90.) C. 18. de Homicid. C. 6. de sent. excom. in 6. Henricus a S. Ignatio Ethic. Amor. tom. 2. lib. 10. p. 5. c. 5. ex affectato doctrinæ rigidæ studio docet, non esse licitum privata autoritate occidere injustum invasorem vitæ: hancque doctrinam esse Evangelicam, Apostolicam & Christianam putat. Cum autem hæc opinio communissime ab omnibus improbetur, necesse non est, ut in ea impugnanda immoremur. Vid. Daniel Concina Theol. moral. tom. 4. lib. 7. c. 5. §. 2. n. 4. seq.

91.) Abbas ad C. 2. n. 2. de Vit. & honest. Cler. Hippol. de Marsiliis pract. crimin. §. quoniam n. 74. seq.

§. 324. Requiritur autem, ut servetur moderamen inculpatæ tutelæ: ad hanc exigitur *Causa*, scilicet injusta offensio 92.): *Modus* in propulsatione ad imminens periculum mortis proportionata: *Tempus*, ut defensio fiat in continenti, non ex intervallo. Notandum autem est discrimen inter moderamen *defensionis*; & inter moderamen *inculpatæ tutelæ*. Facile contingit, ut insultatus, dum se contra vim defendit, excedat tamen limites inculpatæ tutelæ, veluti quando quis occidit, licet posset se defendere non occidendo, aut levi plaga vim repellere. In tali casu locum quidem non habet pœna ordi- *Servato moderamine inculpatæ tutelæ:*

92.) Necessitas vitam suam defendendi talis debet esse, ut alter fit nocens. Unde Covarruv. Relect. in C. Peccatum. de Reg. jur. part. 2. §. 1. n. 7. docet, non posse innocentem occidi ad pellendam extremam famem carnibus ejus, quia manet innocens, qui occiditur. Carpzov. lib. 6. tit. 9. Respons. 94. refert casum, quo maritus in tali extrema famis necessitate constitutus occidit uxorem. Scabini Lipsienses condemnarunt eum ad gladium, quæ sententia non placet Carpzovio.

naria Homicidii; sed tamen arbitraria pro ratione excessus, de quo ex arbitrio Judicis decernendum est. Sicuti enim non præsumitur aggressio, quæ probari debet; sic etiam non præsumitur excessus: imo si constet de aliquo excessu, tamen defensio etiam non inculpata, excusationem aliquam meretur, tum quia provocatus ab aggressore, justo dolore commovente, non censetur posse vulnera ad mensuram dare, nec ob instantis periculi metum improvisum habere deliberationem in sua potestate; tum quod semper intra defensionis terminos versatur.

An liceat pro defensione bonorum?

§. 325. Quæ ad defensionem vitæ propriæ licita esse dicuntur, intelligi solent etiam de eo, qui suos, id est, parentes, liberos, fratres, conjugem, aut etiam externos in periculo constitutos contra aggressorem defendit: unusquisque enim non minus proximum suum, quam seipsum diligere jubetur. Pro defensione & recuperatione rerum & bonorum suorum occisionem esse licitam dicimus, quando cum vitæ, corporisque periculo conjuncta est. Hoc sensu intelligitur Constitutio Juris Canonici

&

& Civilis, juxta quam licet occidere furem nocturnum, non autem diurnum, nisi se telo defenderit Discrimen assignatur, quia ratione nocturni temporis discerni non potest, an ad furandum, an ad occidendum venerit: quæ ratio de fure diurno non pugnat, nisi ad vim inferendam paratum se exhibeat 93). Jure Canonico improbatur occisio ad defendendas res temporales perpetrata a Monacho, sed ex ratione, quæ ad omnes Christianos pertinere videtur, *quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere* 94.). Unde infertur occisionem pro defensione rerum tunc demum

93.) C. 3. de homicid. L. 4. ff. ad Leg. Aquil. MACROBIUS Saturnal. lib. 1. c. 4. Legem XII. Tabular. his verbis prodit: *Si nox furtum factum sit, si im aliquis occisit, jure cæsus esto.* Consonat L. 2. C. ad Leg. Cornel. de sicar. *Is qui aggressorem, vel quemcunque alium* (potest intelligi fur nocturnus) *in dubio vitæ discrimine constitutus occiderit, nullam ob id factum calumniam metuere debet.*

94.) C. 10. de Homicid.

mum esse licitam, si periculum vitæ annexum sit 95.).

De Occisione Principis.

§. 326. Si licet defendere proximum, occidendo invasorem, moveri solet quæstio, an liceat defendere patriam, occidendo tyrannum? sicut hæc quæstio in vario sensu potest proponi & intelligi, ita etiam malevoli quidam, turbando statum quæstionis, occasionem inde sumpserunt, gravissimas calumnias immerito impingendi variis Autoribus, in alienum sensum detortis: imo etiam nonnulli, qui famam & doctrinam horum Autorum vindicare volunt, permiscendo & confundendo varias quæstiones, causam eorum magis turbidam reddunt.

Quæstio prima:

§. 327. Tres moveri solent quæstiones, Prima est, an subdito liceat vitam suam occidendo defendere contra quemcunque invasorem, etiam contra Principem vel Regem, qui sibi illata vi injusta mortem intentat? Frater Daniel Concina occisionem etiam Principis in tali casu illimitate

95.) Furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impune feret, si parcere sine periculo suo non potuit. L. 9. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.

mitate permittit 96.), & rejiciendo aliorum limitationes dicit, hominis innocentis vitam suapte natura meliorem esse vita hominis sontis, tametsi Principis, qui utilis Reipublicæ minime est, cum subditorum vitæ insidias struit. Alii autem eam sententiam varie limitant. Sic P. Hermannus Busenbaum 97.) docet, licere subdito vitam defendere cum occisione contra quemcunque injustum aggressorem, etiam contra Principem, nisi forte propter mortem hujus secutura essent nimis magna incommoda, ut bella &c. Licet igitur hujus Autoris doctrina contra opinionem plurimorum aliorum, securitatem vitæ Principis injuste subditum aggredientis præstet; nihilominus P. Busenbaum arguitur tanquam tyrannicidii fautor, Frater Concina cum aliis ejusdem doctrinæ assectis, omnem censuram evadit.

Quæstio secunda.

§. 328. Altera quæstio est, an subditi teneantur obedire illi, qui etiamsi principatum legitime obtineat, abu-

96.) Theol. Mor. tom. 4. lib. 7. cap. 5. §. 2. n. 1.

97.) Lib. 3. part. 1. tr. 4. c. 1. dub. 3. n. 8.

titur tamen ea potestate, & subditis imperat ea, ad quæ ordo prælationis se non extendit? S. THOMAS DE AQUINO 98.) docet, quod *subditus non teneatur obedire, nec etiam teneatur non obedire.* FRANCISCUS ZOANNETUS, præclarus Academiæ Ingolstadiensis Professor Legum primarius 99.) ob hanc doctrinam, in quam S THOMAS etiam alibi 100.) videtur inclinare, arguit Angelicum Doctorem de fidelitate subditorum parum firmata; pie autem & erudite ostendit tyrannici regiminis causam esse peccata populi, quem DEus vult punire dando ei Principem in furore suo 1.): obediendum igitur illi esse humili & pœnitenti animo, modo nihil imperet, quod notorie sit contra legem Dei.

Tertia Quæstio: nulla confundenda est cum altera.

§. 329. Tertia quæstio est, an liceat occidere eum, qui dominium sibi per violentiam surripit nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, & quando non est recursus ad Superiorem

98.) In 2. sent. dist. 44. art. 2. C.
99.) Repetit. ad Leg. ut vim. ff. de Just. & Jur. part. 3. n. 35. & 121.
100.) De Regim. Princip. c. 10.
1.) *Dabo tibi Regem in furore meo.* OSEÆ XIII. 11.

riorem, per quem judicium de invasore possit fieri. In tali casu respondet S. THOMAS 2.) : *Qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur, & præmium accipit,* ex sententia TULLII excusantis eos, qui Julium Cæsarem interfecerunt, quamvis amicum & familiarem, qui quasi tyrannus jura Imperii usurpaverat 3.). Fatendum est, olim in quibusdam Græciæ Civitatibus ob multitudinem eorum, qui imperium iniquis artibus ambiebant, fuisse constitutum præmium illi, qui Tyrannum occiderit. Qui proin tale facinus audebant perpetrare, non privata autoritate, sed publica totius Reipublicæ id faciebant, sicut aliqui loquuntur de bannitis Imperii 4.). Celebris est declamatio LUCIANI pro eo, qui Tyrannum, quem occisurus in arcem ascenderat, non quidem re-

2.) Cit. dist. 44. art. 2. ad 5.

3.) Fr. DANIEL CONCINA, dum hanc quæstionem attingit, tom. 4. lib 7. c. 5. §. 1. n. 1. ait : *de his sermo erit infra.* Mihi non licuit reperire locum, ubi de his ageret : forte non ausus est defendere, nec sustinuit impugnare S. Doctoris sui opinionem.

4.) P. REIFFENSTUEL ad tit. de Homicid. n. 67.

perit, filio tamen ejus perempto gladium reliquit in corpore. Tyrannus domum reversus, & filium conspicatus mortuum eodem gladio se transfixit. Is, qui filium interemerat, tanquam tyrannicida præmium petit. Thomas Morus, & Desiderius Erasmus hanc declamationem lingua latina verterunt, & erudita utrque declamatione respondet, præmiumque dandum negat. Ut de nostris regionibus loquamur, a dicta S. Thomæ doctrina abhorruit semper Academia nostra Ingolstadiensis, nec eam recipiendam esse asserit Bartholomæus Romulus, Academiæ hujus Professor inclytus 5.), pluribus pro sua assertione allegatis. Ultimæ duæ quæstiones proprie attingunt articulum de tyrannicidio: & tamen multi arguuntur tanquam fautores hujus criminis, qui has quæstiones nec verbulo

5.) Tract. de Testament. Præcept. n. 64. Putat Romuleus, hanc ipsam doctrinam Thomæ Aquinatis esse damnatam in Concilio Constantiensi, ubi actum contra librum Joannis Parvi. Totam historiam horum actorum compendiose recenset Hermannus von der Hardt Conc. Constant. tom. 3. Prolegom. fol. 9. seqq.

bulo attingunt, sed solummodo hærent in terminis primæ quæstionis.

§. 330. Hucusque dictum est de Homicidio *Necessario* ad defensionem vitæ propriæ vel alienæ. De Necessario, quod publica autoritate fit in Bello justo, nihil attinet dicere, cum res ista non soleat subjici sententiæ Judicum, de quibus hic loquimur 6.). Denique ad Homicidium necessarium & licitum refertur pœna mortis a legitimo Judice inflicta sceleratis. Quam grata DEO sit victima, si criminosus exturbetur ex consortio hominum, plenæ sunt sacræ Paginæ. Ecclesia rigorem Justitiæ nequaquam improbat, dum Judices, aliosque, qui sententiam mortis promovent, vel exequuntur, aut etiam in bello offensivo justo aliquem occidunt vel mutilant, non admittit ad sacros Ordines, uti dictum de Hierarch. Eccles. §. 23. Potius movetur quæstio, an Princeps possit remittere pœnam mortis, præcipue homicidii dolosi & deliberati reis. Negant aliqui hanc potestatem Principis, cum putent, ejusmodi homicidis statutam esse pœnam

Sceleratî justè plectuntur morte.

6.) De bellis privatis sufficiant dicta sect. I. tit. 10. de Treuga & Pace.

mortis a Deo, jam ante Legem Mosaicam, mox post diluvium, ut proin ad Legem Naturalem referri debeat præceptum illud: *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius* 7.). Melius autem dicitur, hoc non esse præceptum Judicibus datum, sed esse comminationem Divinam justissimæ pœnæ, quæ homicidis esset irroganda a Deo, cujus Providentia, prout experimur, vix unquam permittit, ut ejusmodi homicidæ evitent violentam mortem, sive per Judicem humanum, sive per alium Justitiæ Divinæ administrum, sive casu, qui nobis videbitur fortuitus, inferendam. Unde DEus 8.): *De manu hominis, de manu viri, & fratris ejus requiram animam hominis.* Quæ tamen cautelæ in danda reis venia observari debeant, alibi notatur.

Occisio sæpe præsumitur dolosa.

§. 331. Præter Homicidium necessarium, breviter considerari oportet Homicidium Dolosum, Culposum, & Casuale. *Dolosum* dicitur, quod animo occidendi factum est: *Culposum* autem, quando quis non habet animum occidendi; facit tamen, vel omit-

7.) Genes. IX. 6.
8.) Ibid. v. 5.

omittit aliquid, ex quo potuisset prævidere periculum occisionis. Quamvis regulariter dolus non præsumatur, nihilominus occisio præsumitur dolosa, si percussio fiat armis ad occidendum aptis, V. G. gladio, emisso globo plumbeo. Imo etiam armorum appellatione intelliguntur fustes & lapides 9.): nam etiam Lex Mosaica reum homicidii & pœna mortis puniendum statuit, *si lapidem jecerit & ictus occubuerit*: *si ligno percussus interierit* 10.).

§. 332. Quæri solet, an Homicidium dolosum, an vero culposum dici debeat, si quis volens occidere Titium, per errorem occidit Cajum, quem putat esse Titium? Nonnulli defendunt, dolosum non esse, quia sola voluntas & intentio occidendi Titium non habetur pro homicidio; ipsa autem occisio Caji fit omnino contra intentionem, consequenter non dolose; unde putant, in tali casu non habere locum pœnam ordinariam homicidii, sed arbitrariam pro modo culpæ, ita quidem, ut etiam intendens occisionem vel percussionem

Si volens occidere unum, per errorem occidat alium,

9.) L. 41. ff. de Verb. signif.
10.) Numer. XXXV. 17. 18.

nem Titii Clerici, non incurrat excommunicationem *ex Can. si quis suadente* &c. si per errorem occidat vel percutiat Cajum Clericum 11.).

Censetur homicida doloſus.

§. 333. Sed in praxi ſervatur oppoſitum, pro quo allegari ſolet textus Juris 12): *Si injuria mihi fiat ab eo, cui ſum ignotus: aut ſi quis putet me Lucium Titium eſſe, cum ſim Cajus Sejus: prævalet quod principale eſt, injuriam eum mihi facere velle. Nam certus ego ſum, licet ille putet, me alium eſſe, quam ſum, & ideo injuriarum actionem habeo.* Quamvis ex hoc textu convincens argumentum non ducatur, putant tamen ad hoc, ut pœna ordinaria homicidii locum habeat, non requiri præciſe animum occidendi; ſed ſufficere, ſi adſit animus doloſus, ſcilicet ut quis doloſe det operam rei illicitæ, ex quâ ſubſequi homicidium, autor delicti veroſimiliter cogitare potuit. Et hoc adeo extendunt aliqui, ut homicidam

11.) Pro hac opinione ſingularem tractatum ſcripſit PETRUS FRANCISCUS PASSERINUS. Videtur eidem opinioni favere MENOCHIUS de Arbitr. Jud. quæſt. caſ. 324. fateor tamen, nec Menochium, nec alios, qui allegari poſſent, Autores quæſtionem hanc ſatis diſtincte proponere

12.) L. 18. §. 3. ff. de Injuriis.

dam dolosum judicent illum, qui volens occidere Titium, in cujus persona non errat; casu tamen quodam occidit Cajum proxime stantem, vel prætereuntem: imo etiam illum, qui dolose rem agit illicitam, & casu quodam accidente aliquem interficit. Hoc ultimum patitur limitationem, si scilicet res sit illicita ob periculum occisionis, prout Clericis est prohibita Chirurgia, ubi sectio vel ustio adhibetur. Potissima dictæ praxeos ratio est, quia in casu talis erroneæ occisionis, *culpa* quidem se habet *respectu occisi*, quod scilicet alius, quam neci destinatus, sit occisus: intuitu autem *occisionis* perpetratæ non est culpa, sed *dolus*, quia intendebatur hominis occisio; consequenter erit occisio dolosa, quæ meretur pœnam ordinariam.

Quando dicatur homicidium culposum?

§. 334. Quamvis igitur in delictis lata culpa non æquiparetur dolo, saltem quoad pœnam ordinariam fori externi; nihilominus in homicidio id ita intelligitur, ut juxta dicta, Homicidii dolosi pœnam incurrat, qui dolose ponit causam, ex qua prævidere potest, facile secuturam occisionem, modo hæc actu secuta sit,

sit, V. G. vulnerando. Animus igitur infligendi vulnus, ex quo mors immediate sequitur, reddit homicidium *dolosum*. *Culposum* autem est, quando quis nec occidendi, nec vulnerandi aut percutiendi habet animum; & tamen præcedente aliqua negligentia interficit hominem, V. G. projiciens tegulas ex tecto, nullo proposito signo; aut explodens tormentum in loco, ubi transire homines solent; aut operam dans rei illicitæ, quæ tamen non ob periculum occisionis, sed ex alia causa est prohibita. Sic Clericus in venatione prohibita occidens hominem, putans esse feram, non committit homicidium dolosum, sed saltem culposum. Quando autem nec dolus, nec culpa intervenit; id est, quando quis nec operam dedit rei illicitæ, nec in re licita omisit ullam diligentiam, si tamen occisio sequatur, Homicidium erit *fortuitum* 13.).

Homicidii diversa genera.

§. 335. Homicidium dolosum, aliud dicitur *simplex*, quod absque prævia deliberatione, seu structis insidiis, forte

13.) Exempla Homicidii casualis inveniuntur in C. 9. 12. seqq. de Homicid.

forte in subita rixa, aut ex calore iracundiæ fit; meretur tamen ordinariam pœnam, modo adsit animus occidendi: mitigari autem potest pœna, si quis fuerit graviter offensus. Aliud est *deliberatum* & præmeditatum, quod haud dubie graviorem animi malitiam supponit; in foro tamen externo, majori & exasperata pœna non plectitur. Si quis occidat absque prævia offensa, vel inimicitia eum, cum quo familiariter agit, cohabitat, vel quem tanquam socius in itinere comitatur; tale homicidium vocatur *Proditorium*, quod multi annumerant Qualificatis. Nos in hoc titulo insistimus Homicidio simplici; de Qualificatis dicemus in Titulo proximo.

§. 336. Pœna Homicidii illiciti 14.) directe, vel indirecte voluntarii de Jure

Pœnæ in foro Ecclesiastico.

14.) Quando Conc. Trid. sess. 14. c. 7. de Reform. dicit, dispensationem cum eo, qui homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo commisit, loci Ordinario committi; debet hoc intelligi de eo, qui admisit culpam in cavendo homicidio, vel excedendo in sui defensione.

Jure Canonico est Irregularitas 15.) eorum, qui illud physice, vel moraliter mandando, consulendo, consentiendo committunt 16.). Si plures occiderint aliquem, omnes fiunt irregulares, licet non fecerint communicato prius consilio & conspiratione prævia, etiam illi, qui lethale vulnus non inflixerunt, si ignoretur, quisnam illud inflixerit 17.). Eandem Irregularitatem incurrit, qui committit homicidium culposum, & quidem pro foro externo, etiamsi culpa non fuerit mortaliter peccaminosa 18.), quamvis juxta Leges Civiles non incurrat pœnam ordinariam, qui tantum ex culpa occidit, forte non servato moderamine inculpatæ tutelæ. In *dubio facti*, qui dubitat, an homicidium, quod constat esse factum, ex sua culpa contigerit, an vulneratus obierit ex vulnere, an ex imperitia

15.) De Irregularitate, quæ incurritur ex defectu, etiam sine delicto, dictum est *de Hierarch. Eccl. Tit. 2.*

16.) C. 4. seqq. dist. 50. C. 6. seqq. de Homicid. C. 3. eod. in 6. C. 21. de Accusat.

17.) C. 18. de Homicid.

18.) C. 7. & 8. Ibid. C. fin. eod. in 6.

ritia Chirurgi; an ex mandato suo, an potius ex malitia ipsius mandatarii mors secuta sit: in tali casu pro irregulari habetur, quia in dubio tutior pars est eligenda 19.). In *dubio Juris*, an scilicet alicui actui Irregularitas in Jure sit imposita, hæc non incurritur 20.). Irregularitas pariter contrahitur ex mutilatione, seu amputatione membri vivi in alieno corpore, & ex violenta manus injectione in proprium corpus, etiam absque mutilatione 21.). Irregularitati accedit inhabilitas ad Beneficia obtinenda 22.): Detrusio in Monasterium 23.):

19.) C. 12. & 18. de Homic. Decisio hujus Capituli 18, desumpta est ex INNOCENTII III. lib. 12. epist. 59. ubi Pontifex observat discrimen inter hunc casum, & inter casum, de quo sermo est in C. fin. XXIII. q. 8. Hanc tamen decisionem de dubio facti ad mutilationem non esse extendendam censemus. An in aliis dubiis materiis semper tutior pars sit servanda, Theologis decidendum relinquimus.

20.) C. 18. de Sent. Excom. in 6.

21.) C. 4. seqq. C. fin. dist. 55. C. 5. Ne Cler. vel Monach. C. fin. de Homicid. in 6.

22.) Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. de Reform.

23.) C. 7. dist. 50. C. 6. §. fin. de Homicid.

Clerici Depositio 24.), Excommunicatio & Degradatio 25.): in Laicos etiam Excommunicatio, *nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint* 26.). Sæpius jam annotavimus, Ecclesiasticam Potestatem in ejusmodi crimina Laicorum non exercere hodie, nisi forte occisus sit Clericus. Quando Canones loquuntur de pœna capitis in homicidam statuta 27.), loquuntur de Legibus Civilibus.

Excusati ab Irregularitate.

§ 337. Ab Irregularitate immunes sunt I. Episcopi & Prælati Ecclesiastici, qui ob Jus gladii, quo pollent, constituunt Judices ad causas Criminales, ut cognita causa administrent Justitiam. II. Judices Ecclesiastici, qui Clericum degradatum tradunt Judici Laico secundum Leges puniendum. III. Inquisitores hæreticæ pravitatis, qui convictos jubent occidi. IV. Juris periti & Professores, sive seculares, sive Clerici, qui explicant, quid Leges Criminales exigant. V. Clerici civiliter convenientes furem pro recu-

24.) C. 12. dist. 81.
25.) C. 10. de Judiciis.
26.) C. 20. XXIV. q. 3.
27.) C. 4. dist. 3.

recuperandis rebus furto ablatis, etiamsi mors conventi, vel denuntiati sequatur. VI. Omnes illi, qui tantum remote cooperantur, uti opifices instrumenta mortis conficientes.

§. 338. In Legibus secularibus pœna homicidii simplicis *dolosi* ordinaria, est pœna gladii 28.) sine discrimine personarum nobilium aut plebejarum. Leges Romanæ videntur facere discrimen inter Nobiles & humiliores: sed recentiores Leges, præsertim Constitutio Carolina absque ullo discrimine *quemvis* homicidam condemnant ad mortem. Dein Leges Romanæ loquuntur non de quolibet Nobili, sed de iis tantum, qui singulari in dignitate sunt positi, *Altiores, in honore positi.* Talis nobilitas Dignitati conjuncta potest Principi dare occasionem gratiæ faciendæ, quam facere non potest Judex ordinarius 29.). Huic pœnæ gladii etiam subjicitur, qui causam proximam *Pœnæ Fori seculares.*

28.) §. 5. Instit. de publ. judic. L. 3. §. 5. L. 16. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. Const. Carol. art. 137.

29.) Vid. Georg. Everhard Vol. 2. Cons. 24. n. 30. cui subscripsit Facultas Juridica Ingolstadiensis.

mortis dedit 30.). Doloſum non cenſetur, quod committitur ab infante, furioſo, ebrio, aut ab eo, qui in dolore juſtiſſimo eſt conſtitutus, uti pater & maritus, qui adulterum in flagranti delicto repertum occidit 31.). Veteres Germani homicidium ſimplex ſola pecuniaria pœna compoſuerunt. Hæc compoſitio, qua ſatisfiebat Fiſco ob læſam pacem publicam, dicebatur *Freda*; quæ autem occiſi conſanguineis ſolvebatur, vocabatur *Werigeldum* 32.). Conſtituta autem pœna capitis in homicidam doloſum pro homicidio tamen culpoſo, ex lege Saxonica debetur Weri-

30.) L. 15. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.

31.) L. 20. & 24. ff. ad Leg. Jul. de adulter. Ubi tamen bene notandæ limitationes his Legibus adjectæ.

32.) De Freda, Werigeldo & ſimilibus frequentiſſima eſt mentio in Lege Saxea, Friſionum, aliorumque populorum, explicatio harum vocum videri poteſt apud omnes earum legum Commentatores, & Lexicographos, Du Cange, Lindenbrogium. Eccard. ad Leg. Sal. Bignonium ad formul. Marculphi &c.

Werigeldum pro consanguineis ad redimendas actiones civiles 33.).

TITULUS XXVII.

DE QUIBUSDAM SPECIEBUS HOMICIDII QUALIFICATI.

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 10. 11. *In Sext. Tit.* 4.

§. 339.

Homicidia qualificata.

QUALIFICATA Homicidia dicuntur, quæ singulari odio Leges persequuntur, & severius puniunt ob accedentem specialem qualitatem. Tale est Assasinium, Veneficium, Parricidium, Latrocinium, Sacrilegium.

Assasini infideles

§ 340. Assasinii mentio facta est supra Tit. de Jure Asyli. Notitiam de Assasinis, Asiæ populis, præbet PAULUS ÆMYLIUS 34.) res gestas sub

33.) De hac Werigeldi Saxonici specie fuse agit CARPZOV. pract. crim. part. 1. q. 34. Fuit illud nonnunquam applicatum pro anima occisi, prout colligimus ex conventione Archiepiscopi Magdeburgensis cum Civitate Hallensi anno 1499 apud LUNIG spicileg. Eccl. Cont. 2. art. 195. fol. 307.

34.) De reb. gest. Francorum lib. 5. f. 273.

Ludovico VII. Juniore narrans, his verbis: Nec tam magni Reges Imperatoresque formidolosi erant, quam Assasini, gens obscura. Decem omnino incolunt oppida circiter sexaginta virorum millia. Phœnicibus tunc contribuebantur . . . ex Persida profecti creduntur: receptaque Mahometis persuasione, sanctissimi omnium a Barbaris existimabantur . . . ea opinione imbuti sunt, ut sibi persuadeant, in rebus humanis nihil antiquius esse, quam pro publica salute, cum tempora postulent, mortem oppetere . . . cui provincia evenerit, alicujus e nostris proceribus interimendi, is ut unus e nostris se nostrorum turbæ immiscens, per fallaciam eadem facit, sibi minime parcens, gnarusque sibi statim occumbendum esse. Sic Raimundus Comes Tripolitanus, quod eis infestus esset, Tripoli a duobus Assasinis confossus, ceterorum curam acuit, ut custodes corporibus suis adhiberent.

Operam olim præstabant in occidendis aliis:

§. 341. Hæc hominum colluvies adeo invaluit, ut sæculo XIII. [35] nonnulli

35 Teste Innocentio IV. in Cap. I. de Homicid. in 6.

nonnulli Magnates taliter perimi formidantes, coacti fuerint ſecuritatem ab eorundem Aſſaſinorum domino impetrare, ſicque ab eo non absque chriſtianæ dignitatis opprobrio redimere quodammodo vitam ſuam. Hæc Decretalis ex Concilio Lugdunenſi deprompta, proprie loquitur de dictis infidelibus populis: unde nullam Cenſuram ſtatuit in ipſos hos interfectores, utpote Eccleſiæ non ſubjectos, ſed in eos, qui quempiam Chriſtianorum per ejusmodi Aſſaſinos interfici juſſerint. Iſti enim mandantes (quanquam mors ex hoc forſitan non ſequatur) aut Aſſaſinum receptantes, defendentes, vel occultantes, ipſo facto, absque alia ſententia incurrunt excommunicationem & depoſitionem a dignitate, honore, ordine, officio & beneficio.

Nunc ipſi Chriſtiani pro pretio idem præſtant.

§. 342. Horum populorum mores cum ſubſequentibus temporibus imitari cœpiſſent Chriſtiani, conducendo homines audaces & improbos, qui ſibi infenſos e medio tollerent, iſtud homicidium pro pretio perpetratum, vocari conſuevit Aſſaſinium, ad quod extenditur dicta Decretalis INNOCENTII IV. cum gravius ſit, per Chriſtianum conductum occidi Chriſtianum,

ſicut gravius eſt, fratrem occidi a fratre, quam ab extraneo. Unde etiam pœnæ Juris Canonici in mandantes latæ, extenduntur in ipſos interfectores pretio conductos.

Pœna ordinaria exaſperatur.

§. 343. In Curiis criminalibus ſecularium, nomen Aſſaſinii quidem non occurrit, reducitur tamen ad homicidium doloſum & latrocinium & ideo eſt qualificatum, quia turpem, mercede interveniente, operarum locationem continet. Unde exaſperari ſolet pœna homicidii ſimplicis contundendo membra per rotam, vel imponendo corpus rotæ, tam in eos, qui conducunt Aſſaſinum, quam in eum, qui operam ſuam pro pecunia locat, ad deteſtandum hoc crimen, quod PAULUS MEKENDA 36.) dicit eſſe exceptum, atrox & enorme, ita ut æquiparetur crimini læſæ Majeſtatis. Ad pœnam tamen mortis infligendam requiri ſolet I. Mandatum ad occidendum. II. Merces data vel promiſſa. III. Actualis occiſio, vel ſaltem actus huic effectui proximus

36.) In Conſil. Criminal. collectis a ZILLETO tom. 2. Conſ. 88.

ximus 37). Ex dispositione autem Juris Canonici incurruntur pœnæ supra §. 34. recensitæ, quæ his temporibus extenduntur etiam in ipsos, qui pro mercede Christianum interficiunt, aut saltem ponunt proximum conatum ad occisionem. Dum autem contra Clericum decernitur Depositio ipso jure a dignitate, honore, ordine, officio & beneficio, ita ut non alia requiratur sententia; hoc tamen intelligendum est, ut non requiratur sententia condemnatoria, bene tamen declaratoria criminis, post quam Clericus esset actualiter degradandus, & Curiæ seculari tradendus 38.). Be-

37.) Non sufficere vulnerationem, sed requiri actualem occisionem, operose propugnat Advocatus quidam, cujus allegationem refert PASSERINUS ad cit. Cap. 1. de Homicid. in 6. post n. 20. ubi dicitur, quod per contrarium usum totius orbis abrogatus sit rigor hujus Capituli, quod pœnas ordinarias statuit, *quanquam mors ex hoc forsitan non sequatur.*

38.) SCACCIA de Judiciis. lib. 1. cap. 11. n. 70. Non est autem tenenda opinio CAROLI DE GRASSIS de effect. Cler. effect. 1. n. 668. & seqq. ubi multis aliis citatis, docet sententiam decla-

neficia etiam ipsius vacarent, & per eum, ad quem spectant, possent mox alteri conferri 39.), etiam illo non vocato 40.).

Veneficio §. 344. Altera species qualificati homicidii est *Veneficium*, quod fit propinato veneno, adeo quidem, ut etiam machinatio mortis per venenum puniatur Lege Cornelia: *Qui venenum necandi hominis causa fecerit, vel vendiderit, vel habuerit* 41.). *Plus est hominem extinguere veneno, quam occidere gladio* 42.): Veneficium enim continet proditionem, & fit clam ac per insidias, ita ut vitari difficillime queat. Qui venenum dicit, adjicere debet, utrum malum, an bonum; nam & medicamenta venena sunt 43.).

Venena

---

ratoriam criminis Assasinii contra Clericum competere Judici Laico.

39.) Hier. Gonzalez ad Reg. VIII. Cancell. Gloss. 15. n. 76.

40.) Idem autor gloss. 53. n. 2. universim docet, posse aliquid fieri, non citato Adversario, quando lex permittit, ut fiat *libere*, quæ vox adhibetur in cit. C. 1. de Homicid. in 6.

41.) L. 3. pr. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.

42.) L. 1. C. de Malefic.

43.) L. 236. ff. de V. S. & cit. L. 3. §. 2. ubi etiam de Amatorio.

Venena aliqua ſimpliciter ſunt mala, quæ nullo modo adjectione alterius materiæ ſalubria fiunt, uti venenum ſerpentum. Alia, ſi admiſceatur certa materia, ſerviunt ad antidota, & ſalutaria medicamenta : illa priora abſolute ſunt prohibita ; hæc poſteriora eatenus ſunt prohibita, quatenus hominis necandi cauſa tractantur.

§. 345. Merito in hoc crimine exaſperatur pœna homicidii. Impera- *Statuitur exaſperata pœna,*
tor GALBA 44.) tutorem quendam, qui pupillum veneno necaſſet, cruci affigendum damnavit : clamante autem eo, ſe civem Romanum eſſe, mutari pœnam juſſit, multoque præter ceteras, altiorem & dealbatam ſtatui crucem juſſit, cui affigeretur. Leges Civiles ſtatuunt pœnam truncationis capitis ex Lege Cornelia de Sicariis. Conſtitutio Carolina 45.) decernit pœnam rotæ in maribus, ſuffocationem in aqua in feminis : pro diverſa tamen conditione perſonæ occidentis & occiſæ, poſſet pro aliorum terrore, corpus lacerari forcipe ignito, vel Reus ad ſupplicium trahi modo ignominioſo.

§. 346.

44.) Referente SUETONIO in vita cap. 9.
45.) Art. 130.

Si crimen sit perfectum,

§. 346. Ad hanc pœnam ordinariam Veneficii, tria requiruntur. I. Venenum fuisse propinatum. II. Mortem ex eo secutam 46.). III. Venenum fuisse malum & noxium. Unde qui poculum amatorium præbet, ex quo alter moritur, non punitur pœna homicidii, quia non dolose interemit. Solus conatus non sufficit ad pœnam ordinariam, nisi forte per venenum attentetur parricidium 47.). Aliquæ Leges eum, qui hominis necandi causa venenum confecerit, dederit &c. damnant ad pœnam Legis Corneliæ de Sicariis 48.): hæc autem lex varias continet

46.) In Codice Criminali Bavariæ p. 1. c. 3. §. 12. pœna mortis, sed sine exasperatione, statuitur in eum, qui venenum propinavit, etsi mors non fuerit secuta.

47.) De hoc casu loquitur L. 1. ff. de Leg. Pomp. de Parricid. *Qui emit venenum, ut patri daret, quamvis non potuerit dare.*

48.) In legibus Wisigothorum lib. 6. tit. 2. Leg. 2. sic statuitur: *veneficos id est, qui venena conficiunt, ista protinus vindicta sequatur: ut si venenatam potionem alicui dederint, & qui biberit, mortuus exinde fuerit, illi etiam continuo supplitiis subditi morte turpissima sunt punien-*

tinet pœnas, non ſemper capitales. Nam qui cauſam mortis præbet, tunc demum de homicidio tenetur, ſi doloſe cauſam præbeat in re illicita ob periculum homicidii; veluti qui philtrum dat ad impediendam conceptionem, ubi propinans animo nocendi & occidendi carere nequit, dum partum, ne ad perfectionem ſuam perveniat, ex propoſito impedit. Qui autem medicamentum ad procurandam conceptionem, vel ſanitatem imperite adverſo ſucceſſu propinavit, pœna ſolum extra ordinem puniendus eſt 49.). Si quis hominis necandi cauſa venenum emit, venditor tenetur de damno, quod ſecutum eſt: qui vero promiſcue, notis & ignotis venena vendit, arbitrio Magiſtratus punitur 50.). Qui

peco-

---

di. ſi certe poculo veneni potatus evaſerit, in ejus poteſtate tradendus eſt ille, qui dedit: ut de eo quod facere voluerit, ſui ſit incunctanter arbitrii.

49.) *Ex Senatus Conſulto relegari juſſa eſt ea, quæ non quidem malo animo, ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quæ acceperat, deceſſerit.* L. 3. §. 2. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.

50.) In Conſt. Carol. Art. 37. jubetur

pecora, aquas, prata &c. veneno inficiunt, arbitrarie puniuntur juxta gravitatem damni, quod secutum est, aut facile sequi potuit.

Severius punitur Clericus hujus criminis reus.

§. 347. Clericus, qui veneno quemquam occidit, severius quam simplex homicida puniendus est. Ideo pœna ordinaria afficiendus esset, si paravit venenum animo illud alteri propinandi, etsi non propinasset impeditus alio eventu, modo per ipsum non steterit, quo minus propinaret, vel venenum non habuisset effectum 51.). Fatendum est, hoc crimen adeo esse pernicioſum, ut nulla pœna injuste statui videatur; sufficit hominibus inter tot armorum genera natis, mortem ipsam formidare, absque eo, quod in ipso cibo & potu, sine quibus vivere impossibile est, mortis timor misceatur. Quid enim miserabilius est, quam uno eodemque tempore, cum spe

---

Magistratus pharmacopolas &c. sub juramento obligare, ne venena vendant absque Magistratus consensu.

51.) Felinus tract. quando conatus puniatur. vers. *fallit quinto*

ſpe vivendi, & timore moriendi cibum ſumere 52.)?

§. 348. Ad majorem veneficii deteſtationem notandum eſt, jure Gentium, ſi non omnium, certe meliorum, non licere hoſtem veneno interficere. Communis utilitas id videtur exigere, ne pericula in bellis nimium intenderentur, etiam contra ſupremos Reges, quorum vita ab armis ante alios defenditur, a veneno minus quam aliorum tuta eſt, niſi defendatur juris aliqua religione & metu infamiæ 53.). Proditoria enim cenſetur occiſio, quæ veneno

Etiam in bello non eſt uſus veneni contra hoſtes.

52.) Sic diſcurrit Bern. Diaz in Pract. Crim. Canon. Cap. 89. & qui iſtum tractatum magis exornavit Ignat. Lopez de Salcedo cap. 99. ubi in adjecto Scholio Lit. D. ex Molinæo ad conſuetud. Pariſ. tit. 1. de feud. princ. n. 99. notatur, Imperatorem (Henricum VII. cum tamen ille Scholiaſtes ex ſuperficiaria lectione Molinæi, Robertum Siciliæ Regem nominet) Euchariſtia intoxicata interfectum fuiſſe. Quam fabulam confutat Odericus Raynaldus Annal. Eccleſ. ad ann. 1313. n. 24. ſeqq.

53.) Hugo Grotius de Jure belli & pac. lib. 3. c. 4. §. 15. & ſeqq. adducens varia exempla.

neno fit, ea præsertim arte præparato, ut nullum mox indicium sui præbeat, sed mortem in aliquod tempus differat 54.). Cultæ Gentes semper aversatæ fuerunt usum veneni: unde etiam Leges Romanæ prohibent, ne Judex damnet reum, ut veneno pereat 54.): & Europæi populi non patiuntur in bello arma, fontes, aut ea, quæ in hominum vel pecorum alimenta cedunt, veneno infici. Si BALDUS 55.) putat, qualecunque defensionis genus in hostes esse licitum, loquitur ex mero jure naturæ, nec respicit illud, quod a Gentium voluntate ortum trahit 56.), ex qua communiter censetur, posse in

54.) L. 8. §. 2. ff. de pœnis.

*54.) Sic Attilius Regulus in Senatu Romano dixit, venenum sibi Carthaginenses dedisse, non præsentarium, sed ejusmodi, quod mortem in diem proferret, &c. A. GELLIUS lib. 6. c. 4. An possit arte præparari venenum, quod determinato aliquo tempore sit operaturum, examinat PAULUS ZACCHIAS Quæst. medico-legal. lib. 2. tit. 2. q. 10.

55.) Vol. 2. Cons. 188.

56.) Vid. SCHIARA Theol. bell. tom. 1. lib. 5. difficult. 7. fol. 14. seq. BURGER Observat. milit. Cent. 1. observ. 29.

in bello, aut obsessione fontes obstrui, aquas aut alimenta fieri inutilia ad usum, ut obsessi ad deditionem cogantur: sed ea veneno infici, nostrarum regionum mores non patiuntur: generosius enim existimant in bello ita occidere, ut is, qui occiditur, sui defendendi copiam habeat, quod minime videtur permissum, ubi veneno locus datur.

§. 349. In alia classe Homicidii qualificati ponitur *Parricidium*, quo nomine intelligitur cædes contra pietatem & jus sanguinis, in ascendentes, vel descendentes, perpetrata. Atrocissimum hoc scelus est. Unde Solon Athenienſium Legislator, cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui patrem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse. Sapienter Solonem a pœna ejusmodi statuenda abstinuisse dicit Cicero 57), ne non tam prohibere, quam admonere videretur. Sic etiam Romulus quodvis *Parricidii*

E e homi

57.) Orat. pro Sext. Roscio Amerino, ubi multa eloquenter differit in detestationem hujus criminis.

homicidium parricidii nomine designavit, nullam autem pœnam sanxit in eos, qui parentes necassent, cum nefandum hoc scelus nunquam extiturum crederet. Et certe annis prope sexcentis, nemo Romæ se isti facinori obligavit: sed patrem interemisse L. Hostius a secundo bello Punico primus fertur 58.).

Pœna apud Romanos.

§. 350. Cum igitur Romuli successores intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt, ut quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine pœnæ maleficio summoverentur: igitur parricidas virgis sanguineis verberatos, insui voluerunt in culeum vivos, cum cane, gallo gallinaceo, vipera & simia, deinde in mare jactari, si mare proximum sit: alioquin bestiis objici 59.). Si occultum esset crimen, ipsi tamen Ethnici agnoscebant, & venerabantur singularem Dei Providentiam

58.) Plutarchus in Romulo.

59.) L. 9. ff. de Leg. Pomp. de parricid. legi possunt notæ Gothofredi ad hanc legem. Ubi rarior erat simiarum copia, felis substituebatur.

dentiam in puniendo parricidio. Unde cum miles ad occidendum Timoleontem missus, in ipso templo alium adstantem peremisset, non solum liber ab omni pœna dimissus, sed etiam præmiis donatus fuit, postquam rescitum, quod ille occisus patrem suum antea occiderit; judicabat enim ipse Timoleon, hunc hominem singulari Dei providentia adhibitum fuisse ad vindictam de parricida sumendam 60.).

§. 351. Dicta pœna Culei in plerisque locis vel omnino abolita, vel saltem mitigata est; nam non adhibetur more Romano saccus ex corio factus, sed ex lino vel cannabe, in quo reus mox suffocatur ob aquam facile penetrantem: nec adjungi solent animalia per legem Pompejam nominata. Ubi autem culeus in desuetudinem abiit, exasperatur pœna gladii, adhibendo candentes forcipes, trahendo reum ad locum supplicii modo ignominioso, imponendo corpus rotæ, vel etiam viva membra per rotam frangendo, pro circumstantiarum qualitate. Nam haud dubie *Pœnæ hodiernæ.*

60.) Plutarchus in vita Timoleontis.

severissime puniri merentur, qui Parentes & ascendentes cujusvis sexus occidunt, etiamsi sint liberi spurii, vel ex incestu, aut adulterio nati. Acerbitas pœnæ nonnihil mitigari solet, si quis occidat eos, quos loco parentum habere deberet, scilicet socerum, socrum, vitricum, novercam.

Infanticidium,

§. 352. Parricidio æquiparatur *infanticidium*. Competebat quidem olim parentibus jus vitæ & mortis in liberos: cum tamen patria potestas non in atrocitate, sed pietate consistere debeat, ideo jus illud sublatum, & eadem pœna dictata parentibus liberos occidentibus, quæ statuta est liberis parentes occidentibus 61.). Nec fit distinctio inter liberos legitimos & illegitimos, si tamen certo constet, interfectorem fuisse patrem occisi. Si autem mater sit scortum publicum, & pater omnino sit incertus, pœna parricidii cessaret in eum, qui pater esse perhibetur, cum forte ipse id neget. Quamvis autem Leges civiles in liberis ex damnato coitu natis, nullam conjunctionis rationem habere

61.) L. un. C. de his, qui parentes vel liberos occid.

habere videantur quoad certos effectus : secundum naturam tamen, & sanguinem, qui solum in parricidii pœna consideratur, revera sunt Liberi 62.). Graviſſimæ culpæ & pœnæ subjiciuntur etiam matres, quæ prolem, sive legitimam, sive illegitime conceptam occidunt ; & hoc modo crimen levius fornicationis aggravant atrociſſimo crimine infanticidii. Si autem pater consilio vel auxilio se criminis reum fecit, simul etiam pœnæ reus erit. Sicut eadem pœna punitur, qui patrem, & qui avum occidit : ita etiam qui filios, & qui nepotes occidunt, ejusdem pœnæ rei sunt. Nihilominus Infanticidii rei non agnoscuntur, occidentes eos, qui liberorum loco sunt ; qualis est privignus, gener, nurus. Cum istud crimen infanticidii sat frequens sit, singulari severitate illud persequitur Codex Criminalis Bavariæ 63. : sicut enim quævis mater infanticidium capite luit, ita etiam femina soluta ex crimine gravida, si partum edit clam & nulla obstetrice aut alia femi-

62.) C. 3. dist. 56.
63.) Part. 1. c. 3. §. 19. seqq.

na præsente, præsumitur infantem occidisse, si hic reperiatur mortuus: mater autem sine ulteriore probatione capite plectitur. Juxta aliorum locorum statuta aut praxin, si accedentibus indiciis verosimilibus, mater fateatur, se infantem occidisse, pœna ordinaria gladii locum habet, etiamsi non reperiatur cadaver, quia degenerat in delictum facti transeuntis 63.*).

Committitur etiam procurando abortum;

§. 353. Infanticidii reos se faciunt, qui partum in utero materno perimunt, procurando abortum, vel abigendo partum. Distinctio fit plerumque inter fœtum jam animatum vel non animatum: utriusque expulsio est illicita 64.). Quo tempore animetur fœtus, incertum est: ea opinio est ineptissima, quæ ad evitandas abortus pœnas fingit, fœtum tunc primum habere animam rationalem, quando in lucem

63. *) Frider. Böhmerus Elem. Jurispr. Crim. sect. 2. §. 245.

64.) Inter propositiones ab Innocentio XI. damnatas, 34. ta est: *licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

lucem editur 65.). An autem mox primis a conceptu diebus, an vero sequentibus fœtus animetur anima rationali, non conveniunt Medicinæ & Anatomiæ periti 66.). Quamvis autem expulsio fœtus, etiamsi nondum animatus ponatur, sit semper illicita; in praxi tamen pœnæ homicidii, ratione procurati abortus non habent locum, nisi fœtus jam induerit figuram humanam: expulsio autem fœtus jam figurati non quidem solet puniri pœna parricidii, sed tamen homicidii: unde juxta Leges Civiles incurritur pœna gladii, sine alia exasperatione.

§. 354. Exasperationem meretur expulsio fœtus, quæ ope alterius cri-

Adhibita quandoque arte magica.

65.) Ejusdem Pontificis propositio 35. ta damnata: *Videtur probabile, omnem fœtum quamdiu in utero est carere anima rationali & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur: ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu Homicidium committi.*

66.) De hac re videri potest Paulus Zacchias Quæst. Medico-legal. lib. 1. tit. 2. q. 9. & opinionem suam emendans lib. 9. tit. 1. q. ult. Cangiamila Embryolog. Sacr. lib. 1. c. 7. seqq. Joan. de Cardenas Crit. Theol. Differt. 22.

criminis perficitur, præsertim circa personas, quarum sterilitas Reipublicæ esset summopere noxia. Historicus fide dignissimus refert, talem abortum arte magica esse procuratum in Ranucii Ducis Parmensis uxore: hæc singulis annis ostendebat fœcunditatem, & uterum gerebat: sed partum ante tempus effundebat. Singulari DEI Providentia in Farnesiam Gentem deprehensum est, venefica quandam habere domi in cella vinaria consitam ficum exiguæ magnitudinis, ex qua, quoties Farnesia conciperet, grossus erumperet, & cum fœtu adolesceret, ea tamen conditione, ut quandocunque grossus decuteretur aut carperetur, Farnesia abortum faceret. Postquam hæc arbor radicitus evulsa & igni tradita fuerat, eodem anno 1610. Farnesia uxor filium enititur, ac sequentibus annis sex alios.

Pœnæ abortus ex acris Canonibus,

§. 355. Per sacros Canones gravissimæ statutæ sunt pœnæ contra quoscunque, sive directe, sive indirecte procurantes abortum. Sixti V. 67.) rigo-

67.) Const. *Effrænatam.* quæ est 87. tom. 2. Bullarii.

rigorem ita moderatus est GREGORIUS XIV.68., ut excommunicatio non sit reservata Pontifici, & aliæ pœnæ locum non habeant in expulsione fœtus nondum animati. Procurantes autem abortum fœtus animati, vel auxilium præstantes contrahunt Irregularitatem; privantur privilegio Clericali; sunt inhabiles ad omnia officia & beneficia; sunt ipso facto excommunicati; & beneficio jam habito privantur, saltem post sententiam declaratoriam Judicis: denique Clericus degradatur, & Curiæ seculari traditur. Episcopus potest absolvere ab hac excommunicatione, non tamen dispensare in irregularite, aut inhabilitate ad beneficia 69.). Hæc omnia in dictis Constitutionibus extenduntur ad eos, qui mulierum fœcunditatem impediunt, & sterilitatis potiones seu venena præbent.

§. 356. Suspectos de Infanticidio se reddunt parentes, qui teneros infantes in eodem secum lecto collocant, *Et suffocationis culposæ.*

68.) Const. *Sedes Apostolica.* 8. tom. 2. Bullarii.

69.) Vid. P. ANACLET. REIFFENSTUEL. ad lib. 5. Decretal. tit. 10. PATRITIUS SPORER Theol. Sacrament. p. 4. c. 4.

cant, & extinctos reperiunt : suffocati enim a dormientibus parentibus præsumuntur, qui proin committunt infanticidium, non quidem dolosum, sed saltem culposum. Varios hac de re Conciliorum & Pontificum Canones habemus, qui graves hujus culpæ pœnas exigunt, nominatim *pœnitentiam trium annorum, quorum unum peragant in pane & aqua* 70.) quam pœnitentiam *Carenam* veteres Ecclesiæ Patres appellarunt 71.). Hodie pœna arbitrio Judicis relinquitur.

An liceat infantes exponere?

§. 357. Infanticidio propinqua est *Expositio infantum.* Fit hæc nonnunquam ex inopia, cum mater non habeat, unde infantem alat. Narrante FESTO 72.) erat Romæ *Lactaria columna in foro olitorio dicta, quod ibi infantes lacte alendos deferebant* 73.). Veniam meretur expositio ex causa inopiæ,

70.) C. 3. de his qui filios occider.

71.) EM. GONZALEZ in C. 2. de sponsa duor. item C. 20. II. q. 5.

72.) De Verb. Signif. lib. 10.

73.) GOLTZIUS in Fastis fol. 208. ad ann. ab U. C. 734. ponit nummum Q. Lucretii Vespillonis, in cujus una parte columna erat inter duas capras media cum infantulo, & in altera effigies Junonis sospitæ. RÆVARDUS Operum

piæ, modo fiat in loco tuto, ubi ſpes certa ſit, infantem inveniendum eſſe a perſonis honeſtis, præſertim ſi fiat ad ejusmodi domos, quæ deſtinatæ & fundatæ ſunt ad infantes ejusmodi nutriendos. An autem liceat exponere infantem ex ea ſolum ratione, ut mater evitet infamiam ex partu illegitimo ſibi timendam, merito in quæſtionem vocatur. Id certum eſt, vix poſſe matrem talem ſufficientes cautelas adhibere, ne vita vel integritas infantis periculum ſubeat. Quidquid infamiæ matri immineat, ex merito ſuſtinebit: unde luere non debet innocens infans, qui jus habet, ut a matre alatur. Certe debebit talis mater ſolicita eſſe tam de corporali, quam de ſpirituali ſalute infantis; qui proin deberet rite baptizari, ejusque educatio honeſta procurari,

parte poſthuma, Conjectaneorum lib. 1. c. 17. ſuſpicatur, fuiſſe columnam lactariam, ad quam infantes lacte caprino alendi deferebantur, qui proin Junoni ſoſpitæ commendantur. Conjectura hæc adeo placuit GOLTZIO, ut in Indicem retulerit *Columnam Lactariam*. Hujus columnæ meminit ALEX. AB ALEXANDRO genial. dier. lib. 2. c. 12.

curari, ac expensæ demum restitui. Si infans exponeretur in loco solitario, ubi verosimiliter fame aut frigore periturus esset, aut etiam feris in escam cederet, locum haberet pœna Legis Corneliæ de Sicariis. Si vero omnibus cautelis adhibitis, contra intentionem matris exponentis infans fame aut frigore enecaretur, corporali pœna affici mater meretur, non tamen pœna mortis. Infantes expositi, etiamsi scheda adjecta nomen in Baptismo acceptum insinuet, solent tamen sub conditione baptizari. An autem præsumantur legitimi, vehementer dubitatur, cum plerumque exponantur nati ex illicito coitu. Unde quædam hospitalia, ejusmodi infantibus alendis destinata, singulare habent privilegium, ut infantes ibi educati habeantur pro legitimis, & absque alia legitimatione admittantur ad sacros Ordines 74).

Latrocinii pœna. §. 358. Inter qualificata homicidia locum obtinet *Latrocinium*, quando cædes spolii causa committitur. Hodie

74.) Extat Gerardi Noodt Liber singularis de Partus expositione, ubi explicatur Lex 4. ff. de agnoscend. & alend. liber.

Hodie Leges seculares infligunt pœnam rotæ. Fit istud non solum in viis publicis, sed etiam in ædibus privatis. Eidem pœnæ subjecti sunt, qui auxilium præstant latroni, etiamsi minimum quid, vel omnino nihil acceperint ex spolio, quia consideratur homicidium spolii causa factum, non ipsum polium. Exasperatur sæpe pœna ordinaria Latrocinii, si sit sæpius iteratum; commissum in personam eminentioris dignitatis, vel cui singularis debetur reverentia aut fides; item si nimis crudeli modo sit factum. Jus Ecclesiasticum præter alias homicidii & rapinæ pœnas, nominatim ab Asylo Ecclesiastico excludit Latrones publicos.

Sacrilegium.

§ 359. Supra §. 239. dictum est, Sacrilegii qualitatem in variis aliis sceleribus accedere. Fit istud in Homicidio, quod *Sacrilegum* dicitur ratione personæ occisæ, si hæc per sacros Ordines, aut Professionem Religiosam specialiter Divino obsequio destinata sit; incurritur enim excommunicationis pœna ipso facto 75.).

Item

75.) C. 29. XVII. q. 4.

Item ratione loci sacri, in quo fit: sub hac enim ratione privationem Asyli secum trahit.

Autochiria. §. 360. Ad Homicidium qualificatum trahi etiam potest *Autochiria*, seu propricidium, quando quis sibi ipsi dolose violentas manus infert. Non attingimus antiquissima tempora, ubi multi ex plebe Romana ad Tarquinii Prisci opera perficienda adhibiti, tædio laborum sibi ipsis mortem conscierunt 76.); aut Virgines Milesiæ voluntario suspendio sibi vitam ademerunt 77.); propudioso autem supplicio aliis horror hujus criminis injectus est. Juxta Leges Romanas, illorum bona fisco cedebant, qui ex criminis scientia sibi mortem inferebant 78.): nullæ autem pœnæ statuebantur illis, qui dolore aliquo corporis, aut tædio vitæ, suspendio vitam finiverint. Consonat Constitutio Criminalis Carolina 79.), quæ hæredibus relinquit bona illius, qui se ipsum interfecit, nisi iste crimen com-

76.) Plinius Hist. natur. lib. 36. c. 15.
77.) A. Gellius noct. attic. lib. 15. c. 18.
78.) L. 3. pr. & §. 1. ff. de bonis eorum, qui ante sentent. &c. L. 1. C. eod.
79.) Art. 135.

commisisset confiscatione bonorum puniendum : contrarias autem consuetudines expresse abrogat. Unde etiam improbatur consuetudo quorundam locorum, qua carnifex sibi vendicat omnia, quæ stans in loco propricidii, mucrone gladii attingere potest. Jure Ecclesiastico, qui sibi ipsis mortem inferunt, privantur sepultura honesta, nec oblationes pro ipsis fiunt 80.), nisi ex insania, aut violenta melancholia, quæ mortaliter peccandi facultatem eripuisset, id factum præsumi possit. Praxis habet, ut si ejusmodi interfectores sui ipsius a Judice Ecclesiastico sepultura sacra indigni declarentur, a carnifice corpus exanime ex ædibus, & quidem juxta consuetudinem quorundam locorum non per ostium, sed per foramen vel foveam sub limine domus effossam, laqueo pertrahatur 81.), & infami loco sepeliatur 82.).

TITU-

80.) Cap. 12. XXIII. q. 5.

81.) Damhouderius prax. crim. cap. 90. fol. 260.

82.) Vid. Farinacius Rer. crim. p. 5. q. 128.

TITULUS XXVIII.
DE DUELLO.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 13. 14. 15. 25.

§. 361.

Duelli Definitio:

QUANTIS curis varii Imperatores pro ſtabilienda Pace Publica ad tollendum Diffidationum abuſum incubuerint, alibi inſinuavimus 83.). Nihilominus earum reliquias adhuc hodie, præſertim apud Germanos deprehendimus in Duello (græce Monomachia); quo nomine intelligitur pugna ſingularis ab utraque parte ſponte & deliberate ſuſcepta *ex condicto, deſignato tempore & loco.* Per has conditiones Duellum diſtinguitur a rixa extemporanea (Rencontre), quæ committitur in repentino animi æſtu, atque in continenti: cum hæc in foro externo mitius puniatur, quam duellum, ideo Nobiles & Milites duella ſua plerumque palliant nomine Rixæ extemporaneæ, quæ in foro interno æque peccaminoſa eſt.

Diviſio.

§. 362. Duellum aliud dicitur *Publicum* ſeu ſolenne ſub certa forma, ſeu ſolenni

83.) De Judiciis civilibus §. 124 ſeqq. plura videri poſſunt apud CARPZOV. *pract. crim. p. 1. c. 37.*

solenni ceremonia, missis chartis provocatoriis (Cartel), adhibitis patrinis, invitatis spectatoribus, & plerumque in *Campo franco* securitatem præstante: aliud *Privatum* sine dictis ceremoniis, adhibitis tamen patrinis, quos secundantes vocant. Dividitur etiam in *Extrajudiciale* citra Judicis autoritatem commissum: & *Judiciale*, autoritate Judicis præscii, vel etiam præsentis, & judicantis de eventu pugnæ, & causa inde dependente, quale hodie non est in usu. Item in *Lethale*, ubi intenduntur gravia vulnera; & non *lethale*, quando industria aut pacto cavetur a vulnere graviore. Dividitur demum in Duellum *vindex honoris*, quando per contumelias honor in discrimen adductus est; & in *vindex fortunarum*, ubi fortunæ periclitantur: nonnunquam utraque læsio concurrit.

§ 363. Committitur Duellum plerumque inter duos, scilicet Provocantem, & Provocatum: possent tamen ex utraque parte stare plures pugiles. Ad hodierna Duella adhiberi solent aliqui, qui essent testes pugnæ juxta leges peractæ; hi profanato

Aliqui accedunt duellantibus.

fanato nomine *Patrini* vocantur 84.). Accedebat olim etiam Procurator, quem *Campionem* dixerunt. Juxta Sacros Canones quidem *in criminalibus causis* nec accusator, nisi per se, aliquem accusare potest: nec accusatus per aliam personam se defendere permittitur 85.). Aliud autem obtinebat in Duello 86.). In Patrinos, æque ac in ipsos duellantes, severissime invehuntur Bullæ Pontificum, & Edicta Principum.

Quidam etiam ex rationibus politicis non tenentur comparere.

§. 364. Sicut ex morali doctrina Christiana nemo deberet provocare ad Duellum, & nemo provocatus comparere; ita etiam ex politicis rationibus dantur exceptiones quædam, quæ opponuntur provocationi, scilicet si provocans sit infamis infamia juris vel facti; vel si plebejus provocet Nobilem, si Nobilis Principem Imperii, si subditus Dominum, si versatissimus in re gladiatoria, provocet

84.) Thuanus Histor. lib. 66. ad ann. 1578. narrat, in Gallia Duellantibus adstitisse amicos, non solum ut testes, sed simul etiam pugnaturos.

85.) C. 2. V. q. 3.

86.) Vid. Alciat. de singul. certam. c. 35.

vocet alium, officio literario occupatum, & in ſolis libris verſatum.

§. 365. Duella commiſſa olim fuerunt ſolius roboris oſtentandi cauſa, cum apud Græcos, tum etiam apud Romanos. Sed CONSTANTINO Imperatori *cruenta ſpectacula in otio civili & domeſtica quiete non placent: quapropter*, ut ejus Conſtitutio loquitur, *omnino gladiatores eſſe prohibemus* 87.). Habemus exempla paucorum pugnantium, ut toti exercitui parceretur. Uſitatiſſimum erat Duellum Judiciale, non tantum in dubia quæſtione facti, ſed etiam Juris: hac enim ratione, imperante OTHONE, deciſum fuit, ut liberi defunctorum filiorum ſimul ſuccedant cum Patruis, quæ quæſtio olim valde controverſa fuerat 88). In dubia autem quæſtione facti, ut evitarentur perjuria, recurrebatur ad duellum, cujus eventum DEus ipſe moderari credebatur 89.), etiam in *Duellum*

87.) L. un. C. de Gladiator.

88.) CHRISTOPH. LEHMANNUS Chron. Spirenſ. lib. 5. c. 4. SIGEBERTUS in Chronico ad ann. 912. WITICHINDUS Geſtor. Saxonic. lib. 2.

89.) Nonnunquam duella hæc altiore quadam virtute contra reos dirigi vide-

cauſis mulierum, ac Clericorum; ad quem uſum tollendum inſerta eſt Decretalibus Rubrica *de Clericis pugnantibus in Duello*, qui certamen iſtud inire ſolebant per Procuratorem. Offerebatur nonnunquam Duellum ad confirmandam dictorum ſuorum veritatem: ſic LUITPRANDUS Cremonenſis Epiſcopus ab Othone Imperatore ad Nicephorum Phocam legatus, dictis ſuis fidem facturus ajebat: *Meorum aliquis militum, ſi jubes, cras ita rem eſſe duello declarabit.* Id notandum, ejusmodi duella ſcuto & fuſte facta eſſe 90.), vix tamen ſine ſanguine, interdum etiam non ſine cæde pugnabatur 91.).

§ 366.

---

bantur. CLAUDIUS EXPILLY plaid. 30. præter multa alia duellantium exempla, refert mirabile duellum juſſu Regis Galliæ CAROLI V. a Viro Nobili initum cum cane, qui ſatis clara indicia dederat, dominum ſuum a Viro iſto occiſum in ſilva fuiſſe. Hic in Duello ſuccumbens confeſſus eſt crimen, & ad ſupplicium commeritum damnatus eſt.

90.) Capitular. lib. 4. c. 23. & 29.

91.) Plura dabit SIRMONDUS Operum tom. 3. ad Goffridi lib. 3. p. 39.

§. 366. Hodie plerumque suscipiuntur Duella ad vindicandum honorem læsum. Sed re bene considerata hodiernum Duellum, non solum minime necessarium, sed etiam ineptum est ad reparandum honorem. Abunde id eruitur ex Edictis tot Regum & Principum, qui certe honorem Ducum & Nobilium suorum perstare integrum volunt, & tamen severissimis mandatis Duella prohibent. Nam Duellum non tollit opprobrium, etiamsi censeatur labes honori impacta: plerumque autem alterius convitio existimationi nihil detrahitur, nec honor vere læditur, nisi in perverso judicio male sani hominis. Duellum etiam non est argumentum veræ fortitudinis, quæ pro salute Reipublicæ ostendi debet. Insana persuasio, qua nonnulli imbuti sunt de Duello, Legem hominibus imponit crudelissimam, perdendi vitam temporalem & æternam; aut servata vita subeundi maximas miserias, vulnera, exilia, afflictionem familiæ, odium amicorum &c. Injuria afficiuntur Magistratus, Respublica viris

Est ineptum ad vindicandum honorem,

robilissimis spoliatur, Evangelica doctrina conculcatur 92.).

Et prohibitum omni Jure;

§. 367. Monomachia ad morem hodiernum exercenda, prohibetur omni jure, Naturali, Divino, Ecclesiastico & Civili; & quidem in quocunque statu, etiam in statu hominis naturali, vel statu Civitatis male ordinatæ: ita ut semper illicitum sit, acceptare aut offerre Duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit: nec ullus metus amittendæ famæ & officii excusat a peccato, nec a pœnis Ecclesiasticis contra duellantes latis. Igitur ad usum Duellorum omnino abolendum, & publicum scandalum evitandum, non licet honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptare vel ad illud provocare, etiamsi certo sciatur, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam 93.).

§. 368.

92.) Vid. Observationes de Duello Jacobi Basnage & Petri Roques. item Scipio Maffei Della scienza chiammata cavalleresca. Antonius Massa Gallesius contra l' uso del Duello.

93.) Tota doctrina hujus §.i deducitur

§. 368. Quamvis jure naturali cuivis permissum sit, se & sua contra injustum aggressorem defendere, duellum nihilominus adeo ineptum & insaniæ plenum est medium, ut nunquam possit esse licitum. Lumini naturali enim repugnat, vitam & membra sua exponere destinato loco & tempore, ac certis armis ad alterius lubidinem, cum tamen hac ratione nec læsus honor reparetur, nec infamia declinetur, nisi in perverso judicio quorundam male feriatorum hominum. Si instet simul amissio fortunarum, bene notandum, hanc ipsam juxta hodiernos mores sequi ex amisso honore, vel contracta infamia: cum igitur Duellum non reparet honorem, nec deleat infamiam, consequens est ut Duellum sit per se medium ineptum ad defendendas fortunas. Defendat se quilibet in defectu Judicis omnibus viribus a Deo vel natura concessis: sed nec ratio, nec ulla lex permittit, ut defensionem suam cogatur constringere ad beneplacitum adversarii sui, vel ad *Natura-li:*

ex quinque propositionibus damnatis a Benedicto XIV. Const. *Detestabilem* Anno 1752.

ineptissimas regulas quorundam impiorum, qui se Magistros in hac arte obtrudunt. Verum honorem, recusando Duellum nunquam perdet; si autem amittat bona fortunæ, cogitet, esse innumeros, qui ex defectu virium propriarum, & abundantia iniquitatis alienæ extremam miseriam pati debent: ad quam avertendam non licet uti mediis per se illicitis.

Divino: §. 369. Lex Divina publicando Legem Naturalem, prohibet Duellum per mandatum Decalogi, *Non occides*, quo prohibetur, ne quis nec in alienam, nec in suam vitam grassetur, nisi ad id autoritatem acceperit a supremo vitæ mortisque domino. Cum igitur Duellum sit transgressio Legis Divinæ in re gravi contra caritatem sibi ipsi & proximo debitam, certum est, incurri a Monomachis pœnam æternam, quod ipsi Principes in suis Edictis observant. Ex eadem Lege Divina tenetur is, qui alterum in Duello occidit, ad reparanda damna, sicuti tenetur alius homicida, neque discrimen faciendum est inter provocantem & provocatum.

Ecclesiastico: §. 370. Leges Ecclesiasticæ omni tempore detestabilem duellorum abusum,

usum, non sine ingenti corporum, animarumque clade, in Christianam Rempublicam autore diabolo invectum, execratæ sunt 94.): & gravissimas pœnas extenderunt ad Duella privata absque consuetis solennitatibus inita, ad provocantes, suadentes, comitantes, præbentes arma, mittentes libellum, aut quomodolibet cooperantes, socios, patrinos, de industria spectantes, fautores, criminis participes, illudque permittentes &c. 95.). Pœnæ a Pontificibus & Conciliis latæ, sunt I. Excommunicatio major latæ sententiæ, summo Pontifici reservata. II. Privatio sepulturæ sacræ, etiamsi quis moriatur extra locum conflictus, vel post data pœnitentiæ signa & acceptam absolu-

94.) In dicta Constitutione *Detestabilem*, recensentur Concilia, & Pontifices, qui Decreta ediderunt contra Duellantes.

95.) Innocentius III. lib. 11. epist. 64. agnoscit, quod aliquis Canonicus ad dignitatem in sua Ecclesia non possit eligi, quia inter Judices Duelli fuerat: dispensat tamen cum illo, quoniam hujusmodi duellorum judicia etiam a majoribus Ecclesiarum Prælatis consueverunt exerceri.

tionem, modo moriatur ex vulnere, quod in duello accepit, sublata etiam Episcopis super hac pœna dispensandi facultate. III. Occidens aliquem in Duello, non gaudet Asylo Ecclesiastico. IV. Clerici excidunt dignitate, officio, & beneficio ante omnem sententiam, fiunt irregulares. V. Decernitur in duellantes proscriptio omnium bonorum, infamia, inhabilitas ad testandum, aliæque pœnæ crimini læsæ majestatis propriæ. Hæ pœnæ non videntur in usum deductæ in Germania, quatenus infliguntur per Constitutiones Pontificum vel Conciliorum: manifestant tamen gravitatem delicti, & excitant Principes seculares ad similes pœnas pro suo foro statuendas, prout etiam multi statuunt.

Civili. §. 371. Leges Civiles post Christianam Fidem ad solium evectam, prohibent omnia cruenta spectacula 96.). Varias alias leges & statutas ibi pœnas Duello, vel etiam provocationi applicant Autores. Sed omissis antiquioribus, singulares contra Duellum Leges ediderunt ultimis his seculis fere omnes

96.) L. un. C. de Gladiator.

omnes Europæ Reges & Principes. Pro toto Germaniæ Imperio, Statuum Concluſa contra Duellantes ab Imperatore LEOPOLDO in Legem abire juſſa ſunt anno 1668. 97.): & novis decretis anno 1670. nominatim contra eos, qui in Academiis ad ſtudia incumbunt, & ſe invicem ad duellum provocant, confirmantur 98.). Nimis longum eſſet, aliorum Principum

&

97.) Receſſ. Imp. edit. recent. part. 4. fol. 55. ſeqq.

98.) Ibid. fol. 70. ſeq. LUNIG Corp. Jur. Milit. part. 1. fol. 97. ſeqq. qui in variis locis hujus ſuæ collectionis, fere ſingulorum Principum Edicta contra Duellum refert. Hæc eadem P. DANIEL STADLER in tract. de Duello, ordine alphabetico Provinciarum & Principum recenſet, annotatis pœnis contra Duellantes, ac eorum Patrinos. In Bavaria Cod. crim. p. 1. c. 3. §. 9. ordinaria pœna mortis ſtatuitur in duellantes, eorum patrinos & complices, ſi quis in Duello occidatur; ſi occiſio non ſequatur, omnes arbitrarie puniuntur, & quidem in caſu periculoſi vulneris, plectuntur pœna proxima homicidii propter attentatum. Ipſe Sereniſſimus Dux reſervat ſibi caſum Duelli inter Nobiles aut militares perſonas initi. Speciale Mandatum pro Militibus exhibetur in Annotat. ad cit. locum.

& Provinciarum Statuta recenſere; ubique infamia ac pœna mortis infligitur. His tamen Legibus parum profici experientia docet, ubi Principes debita ſeveritate eas non exequuntur, nec media adhibent ad evitandas duellorum occaſiones. Media autem hæc poſſunt eſſe, ſi Principes ſevere invigilent, ne verbo vel facto honor alterius lædatur, aut qualiscunque læſio impunita ſit: ſi læſo congrua fiat ſatisfactio, quæ tamen præſtanda non erit, ſi quis propria autoritate vindictam ſumat: ſi provocans ad duellum, hoc ipſo habeatur perpetuo infamis, ita ut provocatus ſalvo honore comparere non poſſit, cum leges honeſtatis prohibeant certamen inire cum infami.

Duellum committens in alieno territorio,

§. 372. Quamvis ſtatutæ pœnæ in multis locis executioni non dentur, præſumere tamen licet de optimo zelo multorum Principum, quod omni ſeveritate abolere velint abuſum deteſtandi hujus criminis. Subditi horum Principum, ut zelum iſtum inutilem reddant, conferunt ſe in aliam Provinciam, ubi habetur Campus francus, vel ſaltem, ubi Duella ferme impune tolerantur. De his quæri poteſt

poteſt, an illi, qui duellum ineunt extra territorium ſui Principis, incurrant pœnas a ſuo Principe contra duellantes ſtatutas? Communiter quidem dicitur, quod extra territorium jus dicenti impune non pareatur. Allegari ſolet Conſtitutio Bonifacii VIII. 99.), vi cujus *ſtatuto Epiſcopi, quo in omnes, qui furtum commiſerint, excommunicationis ſententia promulgatur, ſubditi ejus furtum extra ejus diœceſin committentes, minime ligari* decernitur 100.). Poſſe Principem ſubditis ſuis prohibere ſub pœna aliquam actionem exercendam extra territorium ſuum, colligitur ex variis legibus, ubi Imperatores ſub pœnis certis prohibent, ne ſubditi ſui commercia exerceant extra certos fines Regni ſui 1.); Arma etiam & aliæ quædam merces exportari prohibentur ad Barbaros 2.).

§ 373.

99.) C. 2. de Conſtit. in 6.

100.) Conſulatur Bartolus in L. cunctos populos. n. 44. ſeqq. C. de ſumma Trin. & fid. Cathol.

1.) L. 4. C. de Commerc.

2.) Tot. tit. C. quæ res exportari non debeant.

Subjacet pœnis a suo Principe statutis.

§. 373. Pro conciliandis variorum Autorum opinionibus 3.), videtur dicendum, si actio ipsa per se mala est, & lege communi prohibita, posse Principem pœnam subdito suo statuere, non quidem ipso facto incurrendam per crimen illud extra territorium perpetratum, sed tamen imponendam a Judice, quando in territorio accusabitur & condemnabitur ob illud crimen. Si Judex territorii, ubi commissum est crimen, gratiam delicti faceret, hæc non suffragaretur in loco domicilii 4.). Si quis autem condigna & ordinaria pœna esset affectus in loco delicti, censeretur etiam

3.) Contrariis studiis fuse inter se pugnant FERD DE CASTRO PALAO tom. 1. tr. 3. disp. 1. punct. 24. §. 5 & PASSERINUS ad cit. Constit. BONIFACII VIII. §. statuit. de Const. in 6.

4.) BOSSIUS tract. crim. tit. de foro compet. n. 85. FARINAC. lib. 1. tit. 1. q. 6. n. 26. Præjudicium circa hanc ipsam materiam Duelli refert CLAUDIUS EXPILLY plaidoyé 24. ubi quidam Gallus qui, in ditione Genevensi in Duello alium itidem Gallum occiderat, subjectus esse judicatur pœnis Regis Galliæ, non obstante venia a Genevensibus concessa, in quorum ditione habitare constituerat post Duellum.

etiam sufficienter punitus in loco domicilii : nam ut advertit Bossius , si alicui in aliquo territorio sint abscissæ aures , nonne etiam in patria sua est sine auribus ?

§. 374. Titulo de Duello in Decretalibus præmittitur Titulus de Torneamentis , & subjungitur Titulus de Sagittariis. De utrisque brevissime agendum est. Postquam cruenta Gladiatorum spectacula non solum a SS. Patribus damnata , sed etiam a Legibus Civilibus abolita fuerunt , convenire tamen ex condicto solebant Nobiles , & ad ostentationem virium suarum congredi. Cum autem Summi Pontifices & Concilia deprehenderent , inde mortes hominum & animarum pericula sæpe provenire , severis interdictis periculosos hos congressus prohibuerunt, negata Ecclesiastica sepultura iis , qui ibi fuissent mortui , in qua pœna infligenda adeo constantes fuerunt Pontifices , ut ALEXANDER III. rogatus ab Archiepiscopo Remensi & Cantuariensi , dispensare noluerit , ut in loco sacro sepeliretur Nobilis quidam, qui , ut loquitur Pontifex , *peccatis exigentibus* in Torneamento decesserat

Torneamenta prohibita:

rat 5.). Torneamenta hæc videbantur etiam valde noxia sacris expeditionibus, quas contra Saracenos vehementer urgebant Pontifices: unde renovata fuit prohibitio *sub pœna excommunicationis ad triennium* in Concilio Lateranensi IV. 6): CLEMENS V. in Concilio Viennensi absque termino temporis Torneamenta prohibuit sub pœna excommunicationis Pontifici reservatæ; hoc decretum cum expeditionibus sacris potius noxium deprehensum fuerit, revocavit JOANNES XXII. 7.) Unde sola negatio sepulturæ Ecclesiasticæ remanebat.

Agitationes taurorum: §. 375. Hæc eadem pœna, a Pio V. Pontifice statuta est in eos, qui perempti sunt inter taurorum agitationes in Hispania consuetas, quas Pontifex nominat dæmonum, non hominum spectacula, & sub excommunicatione prohibet. Hanc & aliorum Pontificum constitutionem ad terminos Juris communis, sub quibusdam

5.) Alexandri Epistola 23. refertur apud MARTENE & DURANDUM tom. 2. veter. script. & monum. f. 674.

6.) Apud HARDUIN. tom. 7. Concil. p. 78.

7.) Extravag. IX.

busdam tamen limitationibus, reduxit CLEMENS VIII. solosque Regulares iis subjectos cupit 8.). Taurorum agitationes omnino abrogari hucusque non permisit Hispanorum in eas vehemens propensio: Torneamenta autem veteri ritu periculoso celebrari prorsus desierunt in Germania, cum jam alius bellandi modus invaluerit, ad quem parum juvat exercitatio armorum olim institui solita.

§. 376. Alter, quem nominavimus, Titulus inscribitur *de Sagittariis*. Mansuetudinis christianæ adeo studiosi erant Pontifices Romani, ut quando bella omnino impedire non poterant, abominarentur tamen crudele armorum genus, quo ingentes strages Christianorum militum ederentur. Sicut igitur supra monuimus, venenata arma inter cultas gentes locum non habere, ita etiam horrorem in- *Et artes Sagittariorum.*

8.) Has Bullas & totum negotium de taurorum agitatione refert JOAN. GUTIERREZ Canon. Quæst. lib. 1. c. 7. FRANC. A MOSTAZO de causis piis lib. 6. c. 10. n. 38. seqq.

cutit mos ille, quo machinæ ad diruendos muros & turres inventæ, jam ad sternendas hominum phalanges vibrentur. Tantam crudelitatem lugebant Pontifices, dum *artem mortiferam & odibilem balliſtariorum & ſagittariorum adverſus Chriſtianos & Catholicos exerceri de cetero ſub anathemate prohibent* 9.). Ingenti vi pollebant, & terribiles effectus dabant olim Balliſtæ 10.): ſed comparari non poſſunt cum hodiernis ignivomis machinis: ſi has vidiſſet INNOCENTIUS II. Autor Conſtitutionis de Sagittariis, certe non unico tantum Capitulo comprehendiſſet hanc Rubricam.

TI-

9.) De Balliſtis antiquorum videri poteſt JUSTUS LIPSIUS Poliorcet. lib. 3. CAROLUS DE AQUINO Lexic. milit. V. *Balliſta.*

10.) EGESIPPUS de excidio Hieroſolym. lib. 3. c. 12. narrat tantam fuiſſe vim Balliſtæ, ut quidam ex ea percuſſus comminuto capite rueret, & occipitium ejus usque ad tertium ſtadium excuteretur; mulier quoque prægnans percuſſa, ſupra dimidium ſtadii de utero excuteret infantem.

TITULUS XXIX.

DE INJURIIS.

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 26. & 36. In Sext. Tit. 8.

§. 377.

EGIMUS supra Tit. XX. de Blasphemiis, quibus maledicitur Deo, quod crimen est contra Religionem. Nunc versamur in vitiis contra Justitiam circa honorem hominis, quo refertur maledicentia, quando quis alterum verbis lædit, male vel malum dicendo contra illum. Fit hoc contra absentem *Detractione*, lædendo famam proximi; contra præsentem *Contumelia*, *Calumnia*, vel *Convitio*, lædendo illius honorem. *Injuria*

§. 378. Dividitur Injuria in *verbalem*, & *realem*. Item infertur alicui, vel *directe* attingendo ipsius personam, vel *indirecte* per personam conjunctam. Est vel *levis* vel *atrox*, considerata qualitate personæ Maledici, gravitate contumeliæ, & Personæ lasæ. *Divisio.*

§. 379. De maledicto in Principem conjecto, memorabilis est Constitutio Imperatorum Theodosii, Arca- *De Maledicto in Principem;*

dii & Honorii 11.) his verbis: *Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit: eum pœnæ nolumus subjugari, neque durum aliquid, nec asperum volumus sustinere: quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab injuria, remittendum. Unde integris omnibus hoc ad nostram scientiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensemus, & utrum prætermitti, an exquiri debeant, censeamus.* Concluditur exinde, quid de maledictis in alios Magistratus, vel privatos congestis statuendum sit. Universim enim *nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendum est* 12.), sed vel contemnendum, vel condonandum: nam dum aliqui verba Legis interpretantur, totam causam *remittendam* esse ad Principem, male hi Doctores sentiunt; *remittendi* enim vocem pro condonatione Imperatores accipiunt. Cum tamen verba calumniosa interdum ad seditionem spectare possint 13.), vel

sint

11.) L. un. C. si quis Imper. maledix.
12.) L. 7. §. 3. ff. ad Leg. Jul. Majest.
13.) L. 1. in fin. ff. ibid.

sint turbulentæ acclamationes, quibus Salus Principis periclitatur 14.): in his circumstantiis causa ad Principem referenda est, cognituram, an & qualis pœna infligenda sit calumniatori.

§. 380.) Pontifex 15.) facit discrimen inter contumelias Pontifici illatas, & inter eas, quæ in Romanam Ecclesiam jaciuntur: harum auctorem Clericum compesci vult per suspensionem Officii & Beneficii, *ut pœna illius aliis terrorem incutiat, ne de cetero contra Romanam Ecclesiam in talia verba prorumpant.* Quamvis enim Pontifex suam propriam injuriam facile dissimulet, nihilominus tenetur dignitatem Romanæ Ecclesiæ conservare, sicuti etiam calumnias in alios prolatas vindicare. Unde statuitur 16.), *ut Clericus maledicus (maxime in Sacerdotibus) cogatur ad postulandam veniam: si noluerit, degradetur, nec unquam ad officium absque satisfactione revocetur.* *In Pontificem.*

§. 381. Contumelia huic loco propria est delictum, quo alterius honor aut *Quid intelligatur per contumeliam?*

14.) L. 28. §. 3. ff. de pœn.
15.) C. 1. de Maledicis.
16.) C. 5. dist. 46. Vid. Gonzalez ad dict. C. 1. de maledic.

aut existimatio *dolose* læditur, scilicet cum intentione ac animo injuriandi, seu lædendi existimationem, & sine jure dicendi vel faciendi tale quid. Quoad animum injuriandi, in dubio hic præsumitur, si verba in se sunt injuriosa, licet præmittatur protestatio, salvo ipsius honore, vel salva reverentia Sacerdoti debita, quæ protestatio, utpote contraria facto, non attenditur, sicut vicissim non præsumitur hic animus, si verba in se non continent injuriam ex communi æstimatione hominum. Altera ratio excusans a crimine convitii, est, si quis habeat jus dicendi vel faciendi tale quid. Si interest Reipublicæ, crimen occultum alterius scire, non calumniatur, qui illud in judicio detegit 17.). Eodem modo, qui ad suam defensionem alteri crimen objicit, forte ad infringendum ejus testimonium, non censetur calumniari. *Si non convitii consilio te aliquid injuriosum dixisse probare potes, fides veri a calumnia te defendit* 18.). Sola igitur convitii veritas non excusat, nisi absit animus no-

17.) L. 18. pr. ff. de Injur.
18.) L. 5. C. de injur.

nocendi, & urgeat vel publica utilitas, vel privata neceſſitas 19.). Plerumque etiam excuſari eum cenſent, qui injuriam verbalem retorſerit, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. Optime tamen fit, ſi retorſiones extrajudiciales prohibeantur, modo Judices ad delationes mox officio ſuo fungantur 20.). Notari meretur Lex illa 21.), juxta quam *ſi quis Aſtrologus, vel qui aliquam illicitam divinationem pollicetur, conſultus, aliquem furem dixiſſet, qui non erat: injuriarum cum eo agi non poteſt: ſed conſtitutiones eos tenent.* Scilicet puniuntur quidem ob exercitium illicitæ artis: injuria autem non cenſentur afficere illum, a quo conſulti, juxta principia ejus artis reſpondiſſe judicantur.

§. 382. Ad injuriam verbalem refertur etiam Scriptura, & libellus famoſus. *Libelli famoſi,*

19.) Multa de veritate convitii congerit Leyserus ad Pandect. ſpecim. 551. Sande Deciſ. Friſicar. lib. 5. tit. 8. def. 7. dicit, veritatem convitii excuſare a palinodia, non a mulcta pecuniaria.

20.) Æquiſſima de his Mandata reperiuntur in Codice Auguſteo Saxoniæ apud Lunig Vol. 1. p. 2. fol. 1731. & 1786. ſeqq.

21.) L. 15. §. 13. ff. de injur.

ſus. Differentiam inter has duas injuriæ ſpecies paſſim ponunt hanc, quod libellus famoſus absque nomine autoris edatur 22.): alii tamen hoc diſcrimen non agnoſcunt. Nam Ulpianus 23.) parum intereſſe cenſet, an nomen adjectum ſit, vel liber editus ſine nomine. Conſtitutio Caroli V. pro famoſo libello habet, quando autor non ſubſcribit nomen & prænomen *juxta ordinationem legum*, id eſt, ut aliqui explicant, qui ſe non inſcribit, prout leges exigunt ad accuſationem 24.). Quidquid ſit de nomine, hujusmodi libellus absque nomine autoris editus, eum, contra quem proponitur, ſuſpectum non facit, nec inquiſitioni locum dat. Unde Trajanus Imperator ad Plinium de Chriſtianis accuſatis ſcribit: *Sine auctore propoſiti libelli, nullo crimine locum habere debent: nam & peſſimi exempli, nec noſtri ſeculi eſt* 25.). Is autem, qui

22.) Deſumitur hæc differentia ex L. un. C. de famoſ. libell. item art. 110. Conſtit. Carol. Crim.

23.) L. 5. §. 9. ff de Injur.

24.) Mathias Stephani ad Conſt. Caroli V. art. 110.

25.) Plinius Epiſt. lib. 10. ep. 98.

qui calumnioſam ſcripturam fecit, ſevere puniri debet, ſive nomen autoris adſcriptum ſit, ſive per inquiſitionem deprehendatur, præmio ex bonis autoris indici promiſſo 26). Nullum inter ejusmodi libellos diſcrimen facit Ordinatio Politica 27.): pœna autem juxta qualitatem rei arbitrarie dictatur a Magiſtratu loci, vel a Fiſcali Imperiali. CAROLUS V. pœnam talionis ſtatuit.

§. 383. Solent libelli famoſi per carnificem comburi. Cenſent aliqui, ſatius eſſe, ut negligantur; nam flamma ſolet latius ſpargere eorum ſplendorem. Narrante TACITO 28.), Imperator NERO Fabricium Vejentonem, quod multa & probroſa in Patres & Sacerdotes compoſuiſſet, Italia depulit, & libros exuri juſſit, qui quamdiu emebantur cum diſcrimine, inveſtigati & lecti ſunt; mox licentia habendi, oblivionem attulit. Unde etiam aliquando dubitatum fuit, an ſcriptum *Hippolythi a lapide* manu carnificis ſit comburendum. Quid autem *An comburendi?*

26.) L. 5. §. ult. ff. de iniur.
27.) De anno 1577. tit. 36.
28.) Annal. lib. 14. n. 50.

dicendum de ejusdem libri nova editione, ad quem adjectæ notæ longe superant impudentiam ipsius Hippolythi ? Librorum noxiorum combustionem jam apud Græcos usitatam fuisse, discimus ex CICERONE 29.), qui narrat, Protogoram scripsisse, de Diis nihil certo sciri, sint, an non sint; ob id autem eum relegatum, & libros illius in foro combustos esse. SENECA 30.) videtur hanc pœnam improbare: *Res nova & insueta, supplicia de studiis sumi.* Aliter sentit CONSTANTINUS M. 31.): *Famosis libellis fides habenda non est, nec super his ad nostram scientiam referendum, cum eosdem libellos flammis protinus conducat aboleri.*

Injuria realis

§. 384. Hucusque dicta pertinent ad injuriam verbalem: *Realis* est, quando alio modo læditur honor aut existimatio alterius: fit istud partim in omissione eorum, quæ fieri; partim in factis, quæ omitti oporteret. Quotidianas experimur controversias, & inimicitias ob negatos honorum titulos.

29.) Lib. 1. de natur. Deor.
30.) In Proœmio lib. 10. Controvers.
31.) L. 3. Cod. Theod. de famos. libell. Videatur hic totus titulus cum Comment. Godofredi.

los. Honorius III. 32.) graviter reprehendit Archidiaconum, qui Episcopum, suum esse dominum negabat, contra fidem homagii præstiti, id est, contra fidelitatem, qua Clerici tenentur erga Episcopum, uti vocem homagii passim explicant 33.). Injuriæ per omissionem reus judicabatur ille, qui in convivio Electoris Moguntini recusabat bibere in salutem Cæsaris 34.).

§ 385 Injuriarum, ubi facto aliquo læditur honor aut existimatio alterius, varia sunt genera: plurimæ fiunt per gestus ignominiosos, quorum aliquos attingit A. Persius 35.), & mentionem facit S. Hieronymus 36.): plures desumuntur ex iis Autoribus, *Variæ species.*

32.) C. 15. de Excess. Prælat.

33.) Marta de Jurisdict. p. 4. cas. 43. Explicationi, quam cum hoc Doctore plures tradunt de sensu citati Cap.li 15. malevole aliam interpretationem opponit Ant. de Dominis de Repub. Eccl. lib. 2. c. 9. §. 5. acsi Honorius prætenderet, ut Clerici homagium præstent Episcopo *tanquam suo domino, qui in eos vitæ & necis habeat potestatem.*

34.) Narrat P. Wagner Histor. Leopoldi lib. 4 pag. 309.

35.) Satyra I. v. 58. seqq.

36.) In Epist. ad Rustic. Monach.

ribus, qui de Pantomimis scripserunt 37.). Nostrum non est, ut eorum recensione doceamus modum scurrilibus sannis illudendi aliis, cum multorum petulantia quotidie in novis inveniendis se exerceat. Varias injuriarum species enumerat Ulpianus & inter has numeratur, quæ famulo facta in dominum redundare videtur 38.). Notum est, quantæ turbæ excitatæ fuerint in Conventu solenni pro Pace componenda Ultrajecti celebrato, anno 1712., ubi famuli unius ex Legatis Hollandicis risu & sannis se exceptos fuisse a famulis Legati Gallici conquerebantur 39.).

§. 386.

37.) Octavius Ferrarius Dissert. de Pantomimis & Mimis. Nicolaus Calliachius de Ludis Scenicis Mimorum & Pantomimorum. Utrumque hunc tractatum Henricus de Sallengre inseruit tomo secundo Novi thesauri antiquitatum Roman.

38.) L. 15. §. 35. ff. de injur. *si quis fecit injuriam servo, ut domino faceret, video dominum injuriarum agere posse suo nomine: si vero non ad suggillationem domini id fecit, ipsi servo facta injuria, inulta a Prætore relinqui non debuit.*

39.) Vid. Actes & Memoires concernant la Paix d' Utrecht tom. 2. ubi recensen-

§. 386. Huc referuntur Imagines, Sculpturæ, & Nummi in contemptum Principis, Pontificis, vel Cardinalium cusi, quorum magnus numerus circumfertur 40.). Ludovicus XII. Rex Galliarum referente Thuano, aureum nummum cudi jussit, cum hac inscriptione: *Perdam Babylonis nomen* 41.): Thuanus 42.) putat, sub Babylonis nomine intelligi Urbem Romanam, quoniam esset Ludovico cum summo Pontifice Julio II. simultas maxima. Sed Harduinus 43.) ostendit, intelligendum hoc esse de Cairo civitate Ægypti, & Sede primaria Ægyptii Soldani, qui eo tempore terram sanctam & Jerusalem tenebat. Vetus autem Cairi nomen erat *Babillon*, occidentales autem Scriptores errore populari *Babylonem* vocabant. Ipse Harduinus propriis oculis deprehendit, in illo nummo non esse scriptum *Babylonis*, prout refert Thuanus, sed *Babillonis*:

per imagines & nummos.

tur Acta authentica circa hunc casum à fol. 72. usque 123.

40.) Aliquot hujus generis nummos exhibet P. Jobert in nova editione de la science des Medailles Instruct. 1.

41.) Ex Isai. XIV. 22.

42.) Lib. 1. Histor. fol. 6.

43.) Oper. select. fol. 905.

billonis: atque ostendit, nummum esse cusum ante simultates inter Regem & Pontificem exortas 44.).

Licitæ sunt actiones contra injurias.

§. 387. Leges subministrant actiones contra injurias illatas. Multi autem censent, ejusmodi actiones non tantum dedecere christianam patientiam, sed etiam moralem Philosophiam. Exempla Ethnicorum, qui mira constantia injurias tolerarunt, legere est apud Senecam, Plutárchum, aliosque. Nihilominus prout ultionem seu vindictam inimico animo sumere, vitiosum est; ita tranquillitati Reipublicæ plurimum interest, ut calumniatores compescantur, & supplicio suo aliorum petulantiæ frœnum injiciant. Hoc si Magistratus ex officio non præstet, privatus quilibet ejus officium stimulare potest, aut etiam tenetur. Observari hoc debet

ret

44.) Addit Harduinus, nummi hujus eandem inscriptionem exhiberi a Petavio. hujus Viri Antiquaria supellex inserta est Tomo II. D. de Sallengre, ubi fol. 1030. inscriptio est *Babyllonis*, & adjungitur nummus Julii II. Pontificis, cujus inscriptio forte interpretationem patitur contra Ludovicum. Petavius autem addit Epiphonema: *En quo discordia Divos perduxit.*

ret contra eos, qui Satyricis scriptis honestos viros suggillare, & in contemptum adducere laborant; qui sæpe adeo non coercentur a Magistratibus, ut potius foveantur, cum multi acumen ingenii potissimum ex ejusmodi scriptiunculis æstimare soleant. Id commode accidit, quod solidæ eruditionis amantes, parum benevolo animo hæc folia legant; & illi, qui his ineptiis lacessuntur, adeo prudentes sint, ut ad suspendium se dolore adigi non patiantur, quod de quibusdam antiquis legitur. Memorabilis est sententia Æliani 45.) *Scommata & convicia mihi nullam vim habere videntur. Etenim si adversus animum solidum & sibi constantem applicantur, intereunt: sin ad illiberalem & abjectum, possunt aliquid, & sæpe non solum in dolores, verum etiam in mortem conjiciunt. Argumento sint hæc: Socrates, cum in Comœdia taxaretur, ridebat: Poliagrus vero seipsum strangulabat.* Æqualis est dementia eorum, qui nimis delicati, injuriarum volunt agere, ubi nulla vera causa est. Macrobius 46.) ponit ex-

45.) Var. histor. lib. 5. c. 8.
46.) Lib. 2. Saturn. c. 9.

exemplum his verbis: *Hortensius in vestitu ad munditiem curiosus cum quondam incederet elaboratus ad speciem, collega de injuriis diem dixit, quod sibi in angustis obvius offensu fortuito structuram togæ destruxerat, & capitale putavit, quod in humero suo locum ruga mutasset.*

Criminales & Civiles.

§. 388. Duplex competit actio ob injuriam, Criminalis & Civilis. Civiliter agitur ad æstimationem injuriæ, atque ut sibi pœna applicetur: Criminaliter, quando pœna juris infligitur. Pro injuria verbali pœna extraordinaria pro modo delicti & qualitate personarum imponitur: potest autem arbitrium Judicis pro injuriæ atrocitate & personæ summa dignitate ad mortem usque extendi 47.), non tantum, quando in Principem redundat gravis ignominia, vel occasio seditionis, sed etiam si sequi velimus Constitutionem Criminalem Caroli V., ubi statuitur pœna talionis: proin si quis objicit alteri crimen capitale falso, deberet ipse capitis pœnam subire, quod tamen hodie non servatur. Contra injurias verbales frequens est

47.) Mevius ad Jus Lubecens. lib. 4. tit. 4. art. 1. n. 7.

est actio ad palinodiam, præsertim si inferior dignitate, superiori aliquid exprobret, quod pudorem graviter suggillat, & probari nequit. Ex qualitate personarum & injuriæ arbitrabitur Judex, quis modus sit adhibendus, ut satisfactio fiat, vel per recantationem seu revocationem, vel per deprecationem, vel per declarationem honoris 48.). Ne autem ejusmodi revocatio, si fiat in judicio, infamare censeatur, potest Judex famam in sententia expresse reservare: opus autem non erit tali reservatione, si injuria sit levis, si reus ante condemnationem cum actore transigat &c. 49.). In Judicio Ecclesiastico, eodem modo ex arbitrio Judicis procedi solet.

§. 389. Huic de Injuriis tractatui subjungenda est notitia de damno injuria dato, quod est delictum privatum, quo per injuriam, id est, nullo jure competente, dolo, vel culpa, *Damnum injuria datum:*

48.) Exemplum talis declarationis inter duos Electores Imperii, recensetur in Theatro Europæo ad ann. 1658. f. 400.

49.) Plura videri possunt apud D. DE BERGER Elect. Jurisprud. Crim. C. 2. membr. 3.

res alienæ læduntur, seu corrumpuntur. Hoc Lege Aquilia vindicatur, de cujus tribus capitibus multa ab aliis disputantur 50.). Cum hodie scrupulosa verborum servitus, quam jus Civile observabat, sit sublata, ob datum damnum restitutio facienda est, quanti interfuit, cum corpus perimeretur, ac præterea lædens, pro ratione admissi doli vel culpæ, extra ordinem puniri solet. Excusatur tamen datum damnum, si accidat casu mere fortuito; si a nescientibus & invitis; si jure & legibus permittentibus 51.).

An levissima culpa sufficiat ad compensandum damnum?

§. 390. Disputant Theologi, an damnum levissima culpa datum, resarciri debeat ante omnem sententiam Judicis? si hæc restitutio dicatur habere

50.) Gerardus Noodt scripsit librum singularem ad Legem Aquiliam.

51.) In L. 45. §. 4. ff. ad leg. Aquil. notari meretur casus ibi relatus his verbis: *Si defendendi mei causa lapidem in Adversarium misero, sed non eum, sed prætereuntem percussero, tenebor lege Aquilia: illum enim solum, qui vim infert, ferire conceditur.* Intelligendum hoc est, quando aliqua sua culpa id fecit, quia potuit id evitare. sic legem hanc explicat Molina de J. & J. tr. 2. disp. 697. n. 10.

bere rationem meræ pœnæ, exſpectare licet condemnationem Judicis; Leges enim non petunt, ut quis pœnam in ſe exequatur, ſed volunt, ut imponat Judex. Multi hanc reſtitutionem conſiderant, ſuppoſitis legibus, naturali æquitati convenientem absque ullo interventu Judicis. Cum enim damnum unus pati debeat, æquius eſſe videtur, ut ferat ille, qui admiſſa culpa illud dedit, quam ille, qui absque ulla culpa paſſus eſt. Hanc æquitatem agnoſcunt Leges; & inſuper cautiores volunt efficere ad evitandam omnem etiam minimam culpam. Re hoc modo conſiderata non video, quid deſit ad obligationem reparandi damnum etiam leviſſima culpa datum, etiam ante omnem ſententiam Judicis. Si culpa in ſe ſpectata non ſufficiat, ſufficit certe, prout ſubſtat Legibus, quæ prudentiſſime talem damni reſarcitionem exigere poſſunt, ut indemnitati conſulatur unius, & induſtria acuatur alterius. Ulpianus 52.) merito dicit, id quod ex lege Aquilia præſtatur, eſſe pœnam, ſcilicet in eo caſu, de

52.) L. 11. §. 2. ff. ad Leg. Aquil.

quo ibi agitur : nam ponitur aliquis occisus, & non apparere, cujus ictu occisus sit : omnes igitur teneri judicantur, & si cum uno agatur, ceteri non liberantur, quia hic non agitur de resarcitione damni, sed de infligenda pœna.

TITULUS XXX.
DE CRIMINE FALSI.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. XX. In Extravag. Joannis XXII. Tit. X. Inter Commun. Lib. V. Tit. 6.

§. 391.

Falsum est veritatis immutatio.

FALSUM est *veritatis immutatio*: ad constituendum autem Crimen falsi, requiritur *veritatis immutatio dolo malo facta in fraudem tertii.* Si impostura genus per Leges speciatim vel generatim non notatum accidat, *Stellionatus* dicitur. Hujus sæpe reos se faciunt circumforanei illi, qui simplici populo varias medicinas venduntʒ3.), arcanarum virtutum notitiam jactitant, vel etiam circa res sacras figmenta

33.) De hoc stellionatus crimine videri potest BÖHMERUS Senior Vol. 2. part. 2. Resp. 1107.

menta spargunt. Diversa hæc nomina hodie adhuc servantur: reipsa autem Stellionatus & Crimen Falsi parum differunt. Innumeris modis Falsum committitur, variatque pro varietate damni per illud dati; nam ex sola ratione illati damni ad Judicium criminale pertinet. Non attenditur autem damnum, quod quis dare intendit; nec lucrum, quod falsarius percepit: quamvis etiam luere oporteat falsi noxii attentatum, cujus effectus per accidens fuit impeditus. Falsarius igitur potest esse, qui non est reus Criminis Falsi, uti doli incapax, agens ex ignorantia vel errore juris. Si absque dolo intercedat culpa, *quasi falsum* committitur: huc refertur, si quis sibi ipsi Legatum adscripsit 54.): aut si Judex per ignorantiam & errorem Constitutiones Principum negligit 55.).

§. 392. Quibusdam Falsi speciebus certæ pœnæ constituuntur in Jure, quas infra annotabimus: universim *Ejus pœna.*

54.) L. 1. ff. de his quæ pro non script' hab. L. 1. §. 7. & L. 6. ff. de Leg. Corn. de fals.

55.) Princ. Inst. de oblig. quæ quasi ex delict. nasc.

autem ex Lege Cornelia Pœna falsi, vel quasi falsi deportatio est, & omnium bonorum publicatio 56.). Hodie plerumque pœna Falsi est arbitraria, a Judice determinanda juxta falsarii malitiam, & damni qualitatem ac quantitatem: ita ut reo inuratur infamia, infligatur pœna corporalis, aut etiam capitalis. Clerici plectuntur mulcta pecuniaria, carcere, privatione beneficii, jejunio in pane & aqua &c.

Committitur dicto, scripto, facto, vel usu.

§. 393. Cum Crimen falsi committi possit dicto, scripto, facto vel usu; de singulis aliqua exempla dabimus. Circa falsum *dicto* commissum, certum est, Leges non omnem veritatis immutationem, seu mendacium pœnis persequi 57.): nam qui mentitur, proprie in sensu legum non semper committit falsum. Sic qui corrumpit ratiocinia, crimen falsi committit: qui autem falso dicit, computationem continere majorem minoremve quantitatem, quam revera con-

56.) L. 1. § fin. ff. de Leg. Cornel. de fals.

57.) Inter contrahentes id patet ex L. 22. f. locati. & L 16. §. 4. ff. de Minorib. juxta quas licet contrahentibus se circumvenire.

continet, mendacium quidem dicit, sed falsum non committit, cum nulla fiat veritatis mutatio, quæ statim, facta ratione calculi, apparet 58.). Si quis tamen legitime interrogatus, mendacium dicit in fraudem alterius, merito pœnam sustinet *Si cum esset quis ex semisse hæres, dixerit se ex quadrante, mendacii hanc pœnam feret, quod in solidum convenitur* 59.). Vicissim *si quis cum hæres non esset, interrogatus responderit, ex parte hæredem esse: sic convenietur, atque si ex ea parte hæres esset: fides enim ei contra se habebitur* 60.).

§. 394 Licet mendacium evitet pœnas fori judicialis, per hoc tamen non fit licitum. Eadem autem ratione illicitum est *falsiloquium*, ex mente recentiorum Autorum distinctum a mendacio in eo, quod interrogans non habeat jus exquirendi a me veritatem, nec aliunde inferatur alicui damnum. Si tamen deliberate fiat contra mentem loquentis, semper erit illicitum: nam facultas loquendi a natura homini indita est, ad com- *Falsiloquium non est licitum.*

58.) L. 13. & 23. ff. de Leg. Corn. de fals.
59.) L. 11. §. 3. ff. de Interrogat.
60.) Ibid §. 1.

municanda mutuo animi ſenſa: pro. in non poſſumus ea uti ad finem directe contrarium, cum per talem communicationem obtineatur felicitas humano generi propria ac neceſſaria. Falſitas autem eſt contra veracitatem, per quam debet reſplendere perfectio Divina in noſtris actionibus, etiamſi nullum inferatur damnum; nam ſi damnum ſimul accederet, eſſet contra Juſtitiam, nec omnino proprium ſoli ſermoni Veritat poteſt occultari per amphibologiam, quia permittitur tantum, non autem poſitive intenditur error alterius; falſiloquium autem poſitive intendit ingenerare errorem alteri: unde æquivocatio debet eſſe ſenſibilis, falſiloquium autem non eſt ſenſibile. Non igitur ſufficienter excuſatur falſiloquium per hoc, quod fiat absque damno alterius: fit enim ad ingerendum errorem alteri; ſufficiens autem damnum eſt, alterius intellectum ſtudioſe inducere in errorem, etiamſi aliud damnum exinde non ſequatur. Mendacium in ſuo formali conceptu eſt locutio contra mentem deliberata; per accidens autem eſt, quod aliud

liud damnum non sequatur: in isto formali conceptu falsiloquium convenit cum mendacio; esset autem magnum societatis humanæ malum, si liceret alterum in errorem intellectus inducere, ita ut nemo unquam posset esse securus, an non fallatur: sicuti nunquam essemus certi de rebus fidei, si DEus posset falsum dicere. Unde non est licitum in Judicio uti falsis instrumentis, etsi hæc respondeant veris instrumentis, forte non amplius existentibus.

§. 395. Cum ex una parte prudentia & charitas sæpe prohibeat revelare veritatem, ex altera parte contra mentem loqui nunquam sit licitum; invenerunt aliqui alium modum tegendi innocenter veritatem, ubi interrogans nullum habet jus interrogandi, & interrogatus habet obligationem non revelandi veritatem, prout præter alios diversos casus potest contingere, si quis interrogetur de notitia acquisita in Confessione Sacramentali. Dicunt isti, posse aliqua verba E. G. *Non*, abstrahi a sua consueta significatione, & sumi *materialiter*; perinde acsi nihil significarent, dum- *Verba sumere materialiter an sit falsiloquium?*

dummodo proferantur, non ex animo significandi falsum, sed ex animo relinquendi interrogantem in pristina ambiguitate, quippe nescium, num verba proferantur significative, an materialiter 61). Doctrina hæc acriter fuit impugnata, & rursus vindicata, cum sæpe satisfacere non censeatur illud Firmi Episcopi a S. Augustino laudatum: *Nec prodam, nec mentiar* 62.). Relinquamus hæc Theologis.

Falsitatis dicto commissæ specimina.

§. 396 Varia falsitatis etiam verbo commissæ specimina referuntur, Legibus Civilibus & Ecclesiasticis coercita. Sic testis in Judicio dolose falsum jurato deponens, redditur infamis, eique amputantur duo digiti, quos

61.) Sic docet Sfortia Pallavicinus lib. 3. De Fide, Spe, & Charitate c. 2. n. 23. seqq. Carolus Ambrosius Cattaneus Lezioni Sacre tom. 1. Lez. 44.

62.) Cattaneum impugnavit Augustinus Orsi. Utrinque scripta referuntur apud Trivultienses ad annum 1729. mense August. art. 80. 81. Item ann. 1730 Novemb. art. 102. & Decemb. art. 110. 111. 112. Acriter Cattanei & aliorum sensa refutat Daniel Concina tom. 3. in Decalog. lib. 5. Dissert. 3. cap. 10. seqq.

quos in præſtatione juramenti erexit 63.). Pejerans in cauſa criminali incurrit pœnam talionis, quando proceditur per viam accuſationis 64.). De Jure Canonico ejusmodi falſus teſtis fit infamis; Clericus deponitur, detruditur in carcerem &c. 65.).

§. 397. *Scripto* committitur falſum, præcipue a Notario, qui vel conficit Inſtrumentum falſum, vel in teſtamento contra mentem teſtatoris alicui adſcribit legatum, fideicommiſſum &c. Falſi reus eſt omnis ille, qui per falſa atteſtata pecunias colligit; qui ſignata acta Judicialia 66.), obſignatas literas, vel vivi teſtamentum aperit, teſtamentum amoverit, celaverit; qui alienam imitatur manum, inſtrumentum immutat, radit, in fraudem aliorum: in judicio autem nunquam impune produci poteſt inſtrumentum falſum, etiamſi nullum exinde damnum eveniret aliis 67.). Nam ejus- *Falſum ſcripto commiſſum:*

63.) Conſt. Crimin. art. 107.
64.) Ibid. art. 68.
65.) C. 7. diſt. 50. C. 9. III. q. 5.
66.) C. 33. de offic. Jud. deleg.
67. Covarruv. Var. Reſol. lib. 1. c. 2. n. 3. Laymann Theol. Mor. lib. 3. tr. 3. part. 1. c. 4. n. 3.

ejusmodi falsationes Reipublicæ pernicioſæ esse ſolent: quamvis igitur non violetur particularis juſtitia, peccatur tamen contra veritatis virtutem cum Reipublicæ pernicie. Unde censeo, artificioſos imitatores antiquorum Diplomatum non potuiſſe excuſari ex cauſis alibi allatis 68.). Singularibus pœnis excommunicationis, degradationis &c. afficiuntur falſificantes Literas Apoſtolicas, vel ejusmodi falſas Literas non deſtruentes 69.).

Falſum facto commiſſum,

§. 398. *Facto* vel *Uſu* committitur crimen falſi per innumeras malas artes, quas recenſere ſuperfluum eſſet. Lege Cornelia coercentur, qui luſus prohibitos exercent, & fraudes adhibent, 70.); qui nomen falſum in fraudem tertii ſimulant 71.); qui alie-

68.) Sect. 1. de Judic. Civil. §. 343.

69.) C. 5. 6. 7. de Crimine falſi, ubi enumerantur modi falſandi has Literas, vel deprehendendi falſificationem.

70.) Schilterus prax. Jur. Rom. exercit. 49. §. 138. refert judicium Scabinorum, qui fraudulento luſori præter pœnam virgarum dictabant oculorum effoſſionem, niſi ſingularis gratia ei fiat.

71.) L. 13. pr. ff. de Leg. Corn. de fals. mutare autem nomen vel cognomen ſi-

aliena sigilla vel insignia, alterius decipiendi causa usurpant ; qui falsis mensuris , ponderibusque utuntur ; qui aromata , merces , vinum , aliasque res fluidas corrumpunt ; qui lanas aut pannos tinctura adulterina fucant ; qui multo ære alieno conflato , ex culpa sua ad incitas rediguntur , qui partum alienum subjiciunt; qui clavibus adulterinis utuntur 72.). Singulares tamen pœnas meretur hoc crimen , si committitur circa Monetas , vel quoad materiam , vel quoad formam , vel quoad pondus earum. Cum enim jus cudendi Monetam juribus Majestatis connumeretur ; ideo adulterantes Monetam , crimen læsæ Majestatis committere dicuntur 73.).

Certe

---

ne aliqua fraude, licet. L. un. C. de mutat. nominis. Fictionem prorsus singularem , qua quis mariti absentis personam mentiebatur , & ab uxore plane decepta per plures annos admittebatur , refert JOAN. CORASIUS , & sententiam Parlamenti Tholosani annotationibus illustrat , quas latine interpretatus est & edidit HUGO SURÆUS.

72.) De clavibus adulterinis eruditum discursum exhibet CLAUDIUS EXPILLY plaidoyé 26.

73.) L. 2. C. de fals. monet. Si quis tamen

Certe multas & inextricabiles parit lites mutatio Monetæ, etiam autoritate Principis facta: multo magis depravatio Monetæ a privatis clam facta turbabit tranquillitatem commerciorum & commoditatem contrahendi cum exteris: nummus enim mensura debet esse, ad quam omnia commensurantur: mutata autem, vel turbata rerum mensura, omnia reliqua mutari & turbari necesse est.

Circa materiam monetarum,

§. 399. Ratione materiæ committitur hoc crimen, quando ex vitiosa materia fabricatur Moneta; vel quando bonæ materiæ, scilicet auro & argento admiscetur plus æris, stanni &c. 74.). Ejusmodi fraudes jam apud veteres Romanos in usu erant: reperimus enim nummos antiquos ferreos, subtili Lamella argentea tectos: Ad detegendas has fraudes inventi fuerunt nummi serrati, incisis per extremum marginem crenis, ut interiores nummi partes inspici possent. Item inventi sunt nummi bracteati, cusi

totum formare noluerit, suffragio justæ pœnitentiæ absolvitur. L. 19. pr. ff. de Leg. Corn. de fals.

74.) L. 9. ff. de Leg. Corn. de fals.

cusi potissimum in Germania, qui sunt tenuissimæ bracteæ argenteæ, ob ipsam tenuitatem suam non admittentes typum, nisi ex una parte; in his vix poterat habere locum adulteratio, quin facile observaretur. Fabricantes & expendentes Monetam ratione materiæ falsam, præter confiscationem bonorum, puniuntur ignis supplicio 75.), sive forment Monetam Imperatoris, sive aliorum Principum Imperii; nam hodie in Imperio Germanico omnis Moneta censetur esse Imperii, & Imperatoris, cujus autoritate omnes Monetæ cuduntur. Qui autem nummos ab aliis fabricatos exponunt, vel cudunt solummodo nummos minimos, solent mitius puniri; nisi percutiantur tales oboli plurimi, & iteratis vicibus, quia idem damnum Reipublicæ sequi potest, præsertim cum Leges non distinguant inter majores & minores nummos 76.). Ordinaria tamen pœna locum non

75.) Ibid. & Constit. Carol. art. III.

76.) Bossius tract. crim. fol. 387. narrat, quod ex Consilio aliquo Alexandri, qui docet, statutum loquens de Moneta, non habere locum in minima, exemerit

non habebit, si oboli ærei, qui sunt minimi pretii absque autoritate cudantur; cum Leges semper loquantur de nummis aureis & argenteis 77.). Similiter mitior pœna dictari potest iis, qui ex falsa materia fabricant nummos, Regum aut Principum extraneorum nomine insignitos: nam pœna ignis præcipue infligitur ob crimen læsæ Majestatis, quod non committitur nisi a subdito. Recentiora Edicta Monetalia pœnas statuunt pro qualitate delicti corporales, capitales, vel quoad bona 78.).

Ex auro Chemico:

§. 400. In Jure Canonico varii modi falsificandi Monetas recensentur, adjecta excommunicationis pœna, quæ merito extenditur ad alias Provincias; quamvis enim sermo sit de Regno Franciæ, afficit tamen etiam alia Regna, postquam Constitutio illa inserta est Juri Communi 79.). Alibi

---

a morte duos, qui cudebant quadrantes.

77.) Vid. Cepolla Consil. Crim. 78.

78.) Ordinatio Monetalis Ferdinandi Imperatoris anno 1559. & sequentes Recessus Imperii.

79.) Extravag. un. Joannis XXII. tit. 10.

libi autem 80.) Constitutio Pontificia singulariter invehitur in illos, qui Monetas cudunt ex auro arte Chemica facto. Dicunt aliqui, nummos aureos, quos Rosatos Nobiles (Rosenoble) nominamus, in Anglia primum cusos esse ex auro Chemico, quod feciisse traditur RAYMUNDUS LULLUS, cujus opera etiam pilas æneas, in atrio Regis Britanniæ asservatas, in aurum conversas esse narrant. Fabulam magis exornant dicendo, Raymundum ingentem auri sua arte confecti summam dediisse EDUARDO III. Regi Angliæ pro expensis ad recuperandam terram sanctam impendendis. Tradunt autem Scriptores Angli 81.), EDUARDUM III. primum feciisse nummos aureos. Si igitur RAYMUNDUS aurum a se confectum reliquisset, ex quo Rosati Nobiles ab EDUARDO Rege cusi dicuntur, certe ex illo auro conflatus esset Rosatus Nobilis, quem præ oculis habeo, insignitus nomine & Insignibus EDUARDI, cujus ætatem

80.) Extravag. un. inter commun. de Crim. Falsi.

81.) GUILIELM. NICHOLSON relatus en Memoires de Trevoux anno 1710, mens. Septembr. art. 128.

prodit etiam forma Literarum. Hic autem Nummus ex probatiſſimo auro confectus videtur, ſuperatque pondus duorum Ducatorum Hungaricorum; accurate æquans quartam partem unciæ, cujus ponderis ac bonitatis fuerunt ſolidi Romani, tempore primorum Imperatorum, uti ex Wendelino in Gloſſario Salico, advertit Eccardus 82.), & a proprio experimento oſtendit Guiliel. Budæus 83.). Raymundus obiiſſe ſcribitur anno 1315. duodecim annis, antequam Eduardus ad regnum perveniſſet, quod factum eſſe dicitur anno 1327. Unde Raymundus cum Eduardo tractare non potuit de recuperatione terræ ſanctæ. Ex hac computatione tem-

82.) Ad Legem Salic. tit. 1. fol. 11.

83.) De Aſſe lib. 5. ubi teſtatur, ſe nummos aureos vidiſſe omnium Imperatorum ab Auguſto ad Commodum Cæſarem, & ſingulos habuiſſe pondus quartæ partis unciæ, ita ut nummi quadraginta octo æquarent libram. Poſteriorum Imperatorum, Conſtantini & Juſtiniani tempore ita minutum erat pondus, ut duo & ſeptuaginta nummi aurei æquarent libram. Videatur Franc. Hotomanus de Re Numaria m. fol. 341. & de Aureo Juſtinianico fol. 375. ſeqq.

temporum, & aliis fortissimis argumentis fabula de arte Alchimistica RAYMUNDI exploditur 84).

§. 401. Ratione formæ crimen falsi committitur in moneta, si fabricatur absque privilegio Cæsareo, si imponatur signum alienum, si adimitur justum pondus, si resolvitur moneta grandior. Hæc omnia sunt graviter prohibita, etiamsi materia sit justa & probata: nihilominus tam acerbæ pœnæ non statuuntur his falsificationibus, quales statutas diximus iis, qui falsam adhibent materiam, quia tantum damnum Reipublicæ non infertur, modo materia proba sit. *Circa formam monetarum,*

§. 402. Jus monetandi in Germania, non ex jure territoriali, sed ex concessione Imperatoris dependere, recepta est sententia. Privati quidem raro quoad hunc solum articulum delinquent: semper enim lucri majoris studio, materiam auri & argenti alio viliori metallo contaminant; reatum contrahere possent insigniora Imperii *Cudendo sine concessione Imperatoris;*

84.) Hagiographi Belgæ Act. SS. tom. 5. Junii fol. 657. LUCAS WADDINGUS Annal. Minor. tom. 6. novæ edit. ad ann. 1315. N. 13. seqq. BRUCKER Hist. Crit. Philos. tom. 4. f. 13.

membra, uti contraxit nobilis quædam civitas, cui anno 1629. ob jus monetandi absque privilegio Cæsareo usurpatum, mulcta mille thalerorum dictata fuit 85). Jurato promittit Imperator 86.), se novum monetandi privilegium nulli concessurum absque præscitu & consensu Electorum, & prævia informatione illius circuli, in quo est ille, cui hoc privilegium esset concedendum.

Imprimendo signum alienum;

§. 403. Similiter arbitrariæ pœnæ subjacebunt illi, qui monetæ probæ imprimunt signum alienum. Imperatores Græci passim aureis nummis imprimebant figuram Crucis: multa talia numismata aurea reperta fuerunt in reparatione Ecclesiæ Lateranensis sub Sixto V., qui ea multis Indulgentiis locupletata misit ad Imperatorem, Reges ac alios Principes, eos adhortando, ut ad similem virtutis & religionis laudem excitentur, & se Ecclesiæ Romanæ filios, Catholicorum Principum Successores, & Cru-

85.) Vid. Carpzov. pract. crim. p. 1. q. 43. n. 24.

86.) Capitul. Josephi II. art. 9.

Crucis Christi defensores esse crebrius reminiscantur 87.).

§. 404. Graviter puniuntur, qui monetis justum pondus adimunt radendo, excoquendo, circumciden- do 88.), imo etiam adimentes pondus iis nummis, qui commune pondus excedunt 89.): nam excessus communis quantitatis pertinet ad justum pondus intuitu illius Principis, qui tale majus pondus determinavit. Sic pondus Monetæ in Germania solet communiter statui juxta Marcam Colonien'em: in quibusdam autem Provinciis pondus Monetarum nonnihil superat Marcam Colonienſem. *Adimendo justum pondus.*

87.) Bullar. tom. 2. Sixti V. Const. 73.

88.) L. 8. ff. de leg. Corn. de falsis. In hac lege usurpatur vox *radere*: radi autem dicitur superficies plana; circumcidi ejus circumferentia. Unde Titulus Codicis Theodos. Si quis solidi circulum exteriorem inciderit &c. Byzantii Alexandrum quendam vocabant ψαλιδιον, id est forficulam, quia perquam scite nosset circulum solidorum adradere, ut narrat Procopius de Bello Gothic. lib. 3. Vid. Gothofred. ad cit. tit. Cod. Theodos. Cujacius l. 19. Obs. 25.

89.) Oppositum tenet Alciatus Responsor. lib. 7. Cons. 14.

Pius V. Pontifex 90.) supponit, tonsores aureæ Monetæ ultimo supplicio puniri, minori autem pœna affici tondentes monetas argenteas: ipse tamen judicans, par esse utriusque delictum, & qui argenteas minuunt, nulla alia de causa ab aurearum mutilatione, nisi ob earum defectum abstinere, ac propterea eodem juris rigore procedendum; statuit eos, qui argenteas tondent monetas, ultimi supplicii pœna puniendos esse; scilicet in terris Pontificiis. Hanc Constitutionem Urbanus VIII. 91.) extendit ad omnes personas Ecclesiasticas in Italia existentes, qui aureas vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, aut adulteratas scienter erogare, aut exponere præsumpserint: vult autem Pontifex, ut culpabiles prævia degradatione, Curiæ seculari puniendi tradantur.

TITU-

90.) Bull. tom. 2. Const. III.
91.) Const. 75. anno 1627.

TITULUS XXXI.

DE CRIMINIBUS CARNIS, ET SPECIATIM DE FORNICATIONE.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 16.

§. 405.

ACCEDIMUS denique ad genus Criminum, uti frequentissimum, ita præcipue in SS Canonibus abominandum, quo non solum animæ in perniciem præcipitantur, sed etiam in Republica politica legitimorum civium numerus minuitur, & magna eorum pars ad labores & civitatis munia inutilis redditur. Crimina Incontinentiæ & vagæ libidinis intelligo. *Crimina carnis noxia Reipublicæ.*

§. 406. Antequam de singulis, quorum mentio ad præsentem tractatum pertinet, agamus; novum crimen considerandum est, ex perversis Politicorum quorundam judiciis censura dignum: tale scilicet est ipsa *Continentia.* Nihil frequentius in conventiculis carnalium hominum occurrit, quam exprobratio Cælibatus a Clericis & Religiosis observati. Ajunt, Monachos, antiquitus obsequium Reipublicæ præstitisse, multiplicando *Continentia male habetur pro crimine;*

genus humanum ; hodiernis autem moribus nec hac quidem ratione prodesse Religiosos humano generi: nullum DEI mandatum scire videntur, nisi illud, *Crescite & multiplicamini*: de servanda autem Continentia nihil a DEO constitutum existimant: obligationem naturalem ad procreandam sobolem agnoscunt & prædicant 92.): crassa autem laborant ignorantia consiliorum Christi de iis, qui castraverunt seipsos propter regnum DEI: sunt ex genere illorum, de quibus dixit Servator noster, non omnes capiunt verbum istud. Mirum si molles hi scioli non vituperent ipsum Divinum Salvatorem nostrum ob servatum Cælibatum, & rejiciant doctrinam Pauli, qui cælibatum præfert matrimonio. Si verba, quibus Deus primis nostris parentibus benedixit, habere censentur vim præcepti, abunde satisfit, si impleatur a tota multitudine hominum ; nec opus est, ut

a

92.) Mirantur aliqui, quod ejusmodi dictamina in suis Universitatibus tradi patiantur Principes, qui se potissimum argui agnoscere deberent, dum milites suos, maxime invitos a nuptiis arcent, & conjugatos ab exercitu suo excludunt.

a quolibet de multitudine ſervetur. Sufficienter providetur humanæ propagationi, ſi quidam carnali generationi operam dent, alii vero ab hac abſtineant, & aliis functionibus ad ſalutem humani generis ſe impendant, ſicuti in exercitu quidam caſtra cuſtodiunt, quidam ſigna deferunt, quidam gladiis decertant.

§. 407. Male apud Romanos olim audiit Cælibatus, cum plurimi, præſertim ex nobilioribus, abſtinerent a juſtis nuptiis, non ex virtute, utpote turpiſſimis libidinibus fædati, ſed ex tædio onerum matrimonialium, quæ ob impotentem nobilium uxorum ſuperbiam videbantur intolerabilia. Unde Auguſtus tulit Legem Juliam de maritandis ordinibus, qua & innuptis arctiores pœnas ſtatuit, & nuptiis, liberorumque procreationi præmia propoſuit. Percuſſus hac occaſione nummus præ oculis mihi eſt, repræſentans Auguſtum, qui Germanici liberos in gremium ſuſceptos populo oſtentavit 93.); pœnæ autem poſtea ſunt mitigatæ, & præmia aucta per Legem Papiam Poppæam, cujus frequens

Non erat ſemper æſtimata apud Romanos;

93.) Suetonius in Vita Auguſti c. 34.

quens est mentio in Legibus Romanis 94.).

Neque apud Germanos.

§. 408. Etiam Germani sæpe abhorrebant a justis Nuptiis; unde ex consuetudine inductum fuit, ut hæreditatem hominum propriorum utriusque sexus, qui in cælibatu moriuntur, capiant domini, nulla relicta libertate testandi, qui est effectus famosi illius juris Wildfangiatus, de quo varii litem moverunt Comitibus Palatinis Rheni 95.). Tales Misogami, qui ex nulla prudente causa nuptias aversantur, germanice vocari solent *Hageſtolzen* 96.). Id tamen notandum, nec Romanos, nec Germanos exegisse, ut prorsus omnes matrimonium contraherent. Apud Romanos Virgines Vestales non adigebantur ad matrimonium: etiam in Germania, nun-

94.) Vid. Gravina Orig. Jur. Civ. lib. 3. §. 36. Antonius Augustinus de Legib. §. de Lege Julia.

95.) Elenchum copiosum harum disceptationum recenset Lunig in Bibliotheca Deductionum part. 2. verb. Pfalz. Lit. J.

96.) De Jure Magistratuum in hominum illorum personas & res scribit Schottelius de singularibus in Germania Juribus cap. 1. Pfeffinger ad Vitriar. tom. 3. fol. 901. seqq.

nunquam pœnæ ſubjecti fuerunt Clerici, aut qui ex voto caſtitatem colunt in Monaſterio 97.).

§. 409. His præmiſſis, de veris Criminibus carnis dicendum eſt, quæ communi nomine Luxuriæ continentur. Eſt autem *Luxuria* uſus venereorum contra rationem. Licita enim ea ſunt, ſi rationis ordo ſervetur, utpote ad conſervationem ſpeciei deſtinata, quemadmodum cibus & potus ad conſervationem individui. Si igitur illa in alium finem detorquentur, eſt enormis perturbatio ordinis a natura & a DEO præſtituti: proin Luxuria ex genere ſuo eſt peccatum mortale, dicente Paulo 98.): *Qui talia agunt, regnum DEI non poſſidebunt.* Species ejus ſunt I. Fornicatio II. Adulterium III. Inceſtus. IV. Raptus. V. Vitium contra naturam. VI. Sacrilegium. *Incontinentiæ ſpecies:*

§. 410. Fornicatio ſimplex eſt Concubitus humanus naturalis ſoluti cum ſoluta corrupta. Hanc Lege Divina tam veteris, quam novi teſtamenti eſſe graviter prohibitam, dubium non eſt. *Fornicatio;*

97.) De Cælibatu videantur dicta in opuſculo de Hierarch. Eccleſ. tit. 4. a §. 41.

98.) Epiſt. ad Galat. V.

est. Prohibitam autem etiam esse jure naturali, ostenditur ex eo, quod concubitus humanus institutus sit a natura ad prolem generandam, alendam, & instruendam; fornicatio autem non ordinatur natura sua ad educationem, institutionemque prolis, ad quam necessaria esset conjunctio patris & matris per longius tempus, & quidem ex obligatione, quæ inducitur per justas nuptias: extra has si fornicationes inter eosdem cohabitantes sæpius iterentur, vocatur Concubinatus 99.).

Stuprum; §. 411. Fornicationem Jus Romanum distinguit *a stupro;* hoc enim committi dicitur cum femina virgine, vel honesta vidua. Fornicatio cum corrupta non habebat pœnam; habebat autem stuprum, publicationem partis dimidiæ bonorum, si stuprato-res honesti sint; si humiles, corporis coercitionem cum relegatione 100.). Hodie in foro seculari eadem solet esse pœna fornicationis & stupri, nisi violentia accesserit. Plerumque est mul-

99.) Concubinatus prohibetur in Reform. Polit. anno 1548. tit. 25. & ann. 1577. tit. 26.

100.) §. 4. Instit. de publ. Judic

multa pecuniaria, expositio ad numellas, opus publicum, adjecto aliquo infamiæ signo, vel si crimen sæpius iteretur, etiam relegatio. Auctior hæc pœna habet etiam locum in certis circumstantiis aggravantibus, scilicet si longo tempore concubinatus duret sub specie matrimonii; si fornicatio fiat cum persona Hebræa, vel infideli; si tutor aut curator peccet cum sua quondam cliente 1.); si vitium inferatur feminæ impuberi, insanæ, ebriæ, dormienti; si vir vilissimæ conditionis ad concubitum pertrahat feminam nobilem, aut conditionis valde honestæ; si ministri justitiæ peccent cum persona incarcerata. Mitigantur autem ordinariæ pœnæ, si sequatur matrimonium delinquentium. Narratur memorabile factum cujusdam Nobilis stuprum inferre volentis, & a virgine reluctante transfossi, qui ante mortem, eandem virginem tanquam uxorem suam declaravit, & bona sua eidem reliquit 2.).

§. 412. In foro Juris Canonici dictatur *Ejus pœna in Jure Canonico.*

1.) L. un. C. si quis eam, cujus Tut. &c.
2.) Thuanus Hist. lib. 66. ad annum 1578.

ctatur pœna ſtupri, quam Deus in veteri teſtamento impoſuit, ut, qui ſeduxerit virginem, dormieritque cum ea, dotet eam, & habeat uxorem 3.). Cum igitur hæc ſit pœna, conſequens eſt, quod ſtuprator non teneatur talem puellam ducere, aut dotare, niſi poſt ſententiam Judicis; Judex autem non poſſit eam imponere, niſi puella ſit *ſeducta*; præſumitur autem ſeducta, niſi ſtuprator probet, ab ea occaſionem datam, & ſe ad ſcelus commotum fuiſſe. In tali autem caſu quamvis puella exigere nihil poſſit, poterit tamen ejus pater agere actione injuriarum, & æſtimationem damni ſibi evenientis petere 4.). Clericos ob ſimplicem fornicationem non poſſe deponi, communiter tenent 5.): ſed puniuntur arbitrio Judicis. Qui autem conſuetudinem peccandi cum aliqua contraxit, ut proprie dici poſſit con-

3.) C. 1. & 2. de Adulter. ubi Verba, *dotet & habeat* &c. communiter ſumuntur disjunctive *vel habeat* &c.

4.) Bajardus Addit. ad Clarum. §. Stuprum. n. 28. Bernardus Diaz pract. Crim. Can. c. 77. quod Ignat. Lopez ponit c. 87.

5.) Cum Felino ad Cap. 4. de Judiciis n. 13.

concubinarius, severiori pœna plectendus est, juxta decretum Concilii Tridentini 6.), scilicet privatione fructuum, & beneficiorum, inhabilitate ad beneficia & officia, suspensione ab Ordine, carcere, etiam excommunicatione, juxta gradus spretæ admonitionis, & pertinaciæ in retinendis ejusmodi feminis. Clerico qui Virginem corrumpit, plerumque Autores statuunt Depositionis pœnam 7.), eumque condemnari volunt ad præstandam dotem, etiamsi puella voluntarie vitium admiserit: augeri autem pœna deberet, si violentia accesserit, cui æquiparantur importunæ preces. Sic SOLON, ut PLUTARCHUS in ejus vita observat, suas leges temperavit, ut nihil censeret interesse, an quis importunis modis inducatur, an vim patiatur; dolum enim violentiæ, & voluptatem dolori conferebat, utrovis enim modo æque de statu mentis dejici homines possunt. Verum hoc est, quando agitur de pœna pecuniaria, præstanda dote, amittendo beneficio vel officio:

ubi

6.) Sess. 25. c. 14. de Reform.

7.) Vid. IGNAT. LOPEZ pract. crim. Canon. c. 87.

ubi autem agitur de pœna mortis, non sufficiunt preces, blanditiæ, seu promissa, sed requiritur vis & quidem major, cui resisti sine magno detrimento non potest. Tali vi adhibita, stuprum dicitur violentum, quod juxta Leges Romanas plectitur, prout crimen vis publicæ 8.): hodie in plerisque Provinciis statuta est pœna gladii 9.).

TITULUS XXXII.
DE ADULTERIO.

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 16.

§. 413.

Adulterium ADULTERIUM est *voluntaria thori alieni violatio.* Juxta Leges Romanas adulterii denominatio solummodo desumitur ex femina maritata, non autem ex viro, qui sive conjugatus, sive solutus sit, proprie non committit adulterium, si peccat cum femina soluta 10.). Cum autem ex Lege Chri-

8.) L. 3. §. 4. ff. ad Leg. Jul. de vi publ.
9.) Const. Carol. §. 119.
10.) Hæc magis declarantur ab HIER. GUNDLINGIO, a quo doctrina vulgaris *majorem a feminis, quam a viris requirens castitatem,* examinatur.

Christiana & Jure Canonico maritus æque ac mulier thori fidem servare teneatur; hinc adulterium committi dicitur, sive vir, sive femina, sive uterque sit in conjugio. Unde non tantum ex Jure Canonico, sed etiam ex moribus fori secularis per adulterium hodie intelligitur *violatio fidei conjugalis per concubitum facta.* Ortum inde habet denominatio Adulterii *simplicis*, si una tantum pars sit conjugata; *duplicis* autem, si utraque sit in matrimonio. Patet, tali concubitu non solum peccari contra Castitatem, sed etiam contra Justitiam, violando fidem conjugi datam.

§. 414. Omnes etiam barbaræ gentes aversantur Adulterium. Exemplo nobis sit ABIMELECH Rex infidelis, qui reprehendens Isaacum, quod Rebeccam uxorem diceret sororem suam, ajebat: *Potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, & induxeras super nos grande peccatum* 11.). Ex solo lumine naturali Rex infidelis Adulterium reputavit esse grande peccatum: quis sensus deberet esse Christianis Divina, ac humana

Omnes gentes aversantur.

11.) Genes. XXVI. 10.

na Lege imbutis? Circa pœnam autem hujus criminis tanta est Legum & Statutorum diversitas, ut vix certi aliquid determinari possit, præcipue cum experiamur, Statuta severiora Provinciarum, etsi sint clara & perspicua, in praxi minime servari: ex qua indulgentia sequitur ingens morum corruptela, neglecta liberorum educatio, familiarum ruina, conjugum discordia, & machinationes mortis.

Adulterii pœna civilis,

§. 415. Nascitur ex Adulterio innocenti Conjugi duplex actio, Civilis & Criminalis. Per Civilem petit divortium seu separationem quoad thorum & cohabitationem, ac consequenter lucrum dotis aut donationis propter nuptias 12.). Præter ea, quæ ibi dicta sunt, tenent multi Autores, Conjugem innocentem in illis locis, in quibus introducta est societas universalis bonorum inter conjuges, lucrari prorsus omnia bona conjugis adul-

12.) De hac re dictum est de Jure Rer. Eccles. Sect. 2. §. 377. De Jure conjugis in bona conjugis adulterantis, juxta mores Saxoniæ fuse tractat Leyserus ad Pand. spec. 579. Autor Annotationum ad Jus Civile Bavariæ p. 1. c. 6. §. 43.

adulterantis, quæ lucraretur post mortem ejusdem naturalem: putant enim conjugem adulterantem, cum fieri possit divortium perpetuum, & apud Acatholicos omnino solvatur matrimonium quoad vinculum, civiliter esse mortuam, consequenter partem innocentem habere idem jus in ejus bona, quod acquireret per mortem naturalem. Ubi de hoc jure extat speciale Statutum, servari illud haud dubie debet: in hujus defectu, doctrina ista, nulla lege communi niti videtur. Nam hæc mors civilis est fictio, non quidem juris, quod pro tali casu non datur; sed hominis, quæ nihil operatur. Unde servatur, quod juxta Leges communes de lucro dotis & donationis propter nuptias statutum est. Si autem nulla dos esset constituta, lucraretur conjux innocens eam partem, in qua post mortem succederet. Dein juxta mores hodiernos circa Adulterium eadem est ratio, idem jus mariti & uxoris: spectatis autem juris civilis principiis non posset hæc pœna extendi ad maritum adulterantem, nisi statutum vel consuetudo id præcise exigat; quia juxta Leges Civiles maritus cum femina so-

luta peccans proprie non committit adulterium, sed stuprum 13.), nec violat thorum alienum: unde etiam uxor ex Legibus Civilibus non habet accusationem adulterii, quamvis de matrimonio suo violato queri velit 14.): hodie tamen id jus obtinet ex Constitutione Carolina Criminali 15.). Ita quidem sentiunt multi: sed tamen, ubi vel ex statuto aut consuetudine, vel ex conventione ante matrimonium inita introducitur societas omnium bonorum, nulla haberi potest ratio dotis, donationis propter nuptias, aut paraphernalium: unde uxor impune posset fidem conjugalem violare, nisi perderet ea bona, circa quæ societatem cum marito iniit: ubi hæc societas observatur, eandem pœnam incurrit maritus fidem conjugalem violans: id tamen ex æquitate statuitur, ut pars adulterans omnibus bonis ob adulterium privata, alatur ab altera parte, ne respublica exinde sentiat incommodum.

Criminalis, §. 416. Pœna Criminalis Adulterii Jure

13.) L. 6. §. 1. & L. 34. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.
14.) L. 1. C. eod.
15.) Art. 120.

Jure Mosaico est ultimum supplicium, nominatim per lapidationem. Apud Romanos adultera marito & propinquis punienda relinquebatur. Lege Julia sub Augusto lata statuebatur publicatio certæ partis bonorum, & permittebatur patri adulterum in flagranti delicto deprehensum in continenti simul cum filia perimere 16.). Constantinus M. pœnam gladii statuit, adulteros nominans *Sacrilegos nuptiarum* 17.), quod supplicium, saltem intuitu viri adulteri, confirmat Justinianus 18.). Pœnæ apud veteres Germanos fuerunt diversissimæ 19.): quod autem rariora reperiantur exempla harum pœnarum reis inflictarum, variæ assignari solent causæ, ex quibus in hoc crimine mitigari possit legum rigor; ejusmodi causas recensere nolo, cum plerasque non approbem. Potissima fors causa est, quod

16.) Conditiones requisitæ ad talem occisionem accurate declarantur in tit. Pandectarum ad Legem Juliam de Adulteriis.

17.) L. 30. §. 1. Cod. ad Leg. Jul. de adult.

18.) Novell. 134. c. 10. & §. 4. Inst. De publ. Judic.

19.) Varias enumerat Heineccius Elem. Jur. Germ. ib. 2. tit. 24.

hoc ſcelus ſit difficillimæ probationis 20.). Dein ſi aliunde non ſit omnino notorium; variis etiam innocentibus plerumque aſpergitur aliqua macula, & occaſio præbetur ſcandali. Cauſa non puniti adulterii poteſt etiam eſſe exceptio quinquennii, quo tempore delicta carnis præſcribuntur. Conſtitutio Carolina Criminalis 21.) nihil clare ſtatuit, ſed refert ſe ad Leges Imperiales, quæ, ut dictum, pœnam gladii ſtatuunt. Obſervanda tamen ſunt Statuta ſingularum Provinciarum, quæ nequaquam ſunt concordia. In Bavaria 22.) ſecundum adulterium conjugati cum conjugata, aut tertium etiam cum ſoluta, punitur morte, uti & adulterium ſecundum feminæ conjugatæ cum conjugato vel ſoluto: modo poſt prius adulterium mitiori ſupplicio vindicatum, certiorati

20.) Modos probandi adulterium refert MASCARDUS de Probation. Vol. 1. concl. 57. ſeqq. Eo ipſo autem, quod probatio ſit difficilis, pœna extraordinaria imponi poteſt ex præſumptione & conjecturis, de quibus MENOCHIUS de Præſumpt. lib. 5. præſ. 41. LEYSERUS ad Pandect. ſpecim. 577.

21.) Art. 120.

22.) Cod. Crim. p. 1. c. 5.

rati fuerint de morte in adulterium iteratum ſtatuta.

§. 417. Jure Canonico, cujus cenſuræ etiam Adulterium, utpote crimen mixtum, ſubjicitur, Adulteri Laici excommunicantur 23.): ſed, quod ſæpius monui, hodie Judices Eccleſiaſtici Laicos talium criminum reos relinquunt Judicio ſeculari. In foro autem conſcientiæ juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam ſubjiciendus eſſet Adulter pœnitentiæ ſeptem annorum. Contra Clericos adulterii reos proceditur depoſitione ab officio, incarceratione &c; damnati per ſententiam redduntur infames, & inter Laicos agere debent pœnitentiam 24.). Bene notant Autores quidam 25.), etiamſi juxta ſtatuta Provinciæ cujusdam, marito non accuſante uxorem, nullus poſſit eam accuſare de adulterio, Judex tamen Eccleſiaſticus poſſit pu- *Et Canonica.*

23.) C. 6. de adulter.

24.) C. 10. ſeqq. diſt. 81. Paulus Grillandus tract. de Pœnis omnifariam coitus illiciti. §. *ſexto declaranda.* ubi recenſentur variæ pœnæ adulterii in ſacris canonibus ſtatutæ.

25.) Diaz Pract. crim. cap. 79. quod in editione Lopezii eſt cap. 89.

punire Clericum adulterii reum, marito non accusante: non enim potest Lex secularis Ecclesiasticos Judices impedire, ne ad emendationem suorum Clericorum procedant. Magnæ autem cautelæ adhiberi debent, si delictum non sit publicum, aut sit marito ignotum: in tali enim casu Clericus secreta disciplina corrigendus, & relegandus esset sine expressione causæ in sententia. Marito autem Clericum accusante, tanto severius est procedendum, quanto honorabilior est persona mariti, aut diuturnius est adulterii peccatum, majusve exinde subortum scandalum.

Polygamiæ pœna.

§. 418. Huc pertinet *Polygamia* seu pluralitas simultanea uxorum; successivam enim reiterationem matrimonii frequentius vocamus *Bigamiam*. Polygamia igitur hoc loco dicitur, quando quis conjugem legitimam jam habens, ea superstite matrimonium cum alia femina, ritu in Ecclesia consueto contrahit, & carnali coitu consummat. Hæc Patriarchis antiquæ legis ex Divina revelatione fuit permissa ob paucitatem fidelium, & alias mysticas rationes. In Lege autem Evangelica, polygamia est per Christum sub-

sublata, & matrimonium ad primævam suam institutionem reductum, ubi duo in carne una esse jubebantur. Unde hodiernis Judæis, licet ipsis permittantur alii ritus Legis Mosaicæ, prohibita tamen est Polygamia 26.). Hoc crimen adulterio gravius, quia adulteria in contumeliam prioris matrimonii continuantur, in Constitutione Carolina, morte plectitur 27.). Cum autem ad pœnam ordinariam requiratur, ut crimen dolo malo committatur, & consummetur; inde sequitur, a pœna ordinaria excusari eos, qui de morte prioris conjugis siniſtre informati sunt, aut alteram conjunctionem nondum carnali copula consummarunt.

26.) Supra §. 186. Quid de Polygamia Infidelium censendum sit, disputat Abulensis in cap. 19. Matth. quæst. 35. Fragosus de Regim. Reip. Christ. p. 3. lib. 10. disp. 22. § 3. & 4. Vid. C. gaudemus 3. de Divort.

27.) Art. 121. De pluralitate uxorum licita apud varias gentes vid. Damhoudertus prax. rer. crim. cap. 91. n. 122. seqq.

TITULUS XXXIII.
DE RELIQUIS DELICTIS CARNIS.

§. 419.

Incestus UTROQUE Jure, Civili & Canonico graviſſime prohibetur & punitur *Inceſtus*, quo nomine intelligitur concubitus cum perſonis ſanguine vel affinitate junctis, ita ut juxta Sacros Canones matrimonium contrahere inter ſe nequeant. Si quis autem fornicatur cum perſona in ſecundo vel tertio genere affinitatis ſibi conjuncta, inceſtuoſus non judicatur; quia talis affinitas non impedit matrimonium juxta Jus Canonicum hodiernum, quod circa impedimenta matrimonii ſequimur, non attendendo ad legem civilem 28.).

Pœna in foro ſeculari: §. 420. Delicti hujus pœna mors eſt, ſi inter Aſcendentes & Deſcendentes 29.); inter fratrem & ſororem committitur: quoad alios conſanguineos collaterales mitior vel ſeverior eſt

28.) L. 15. ff. de rit. nupt. Vid. de Jur. Rer. Eccleſ. Sect. II. §. 330. Not. 53. & §. 332. Not. 63.

29.) Alicubi talis Inceſtus igne punitur, Cod. Crim. Bav. p. 1. c. 6. §. 1.

est pœna, considerato remotiore vel propinquiore gradu. Incestus inter consanguineos admissus, gravius est crimen, & ideo gravius puniendum, quam inter affines 30.). Nihilominus etiam inter hos in linea Ascendente & Descendente juxta Statuta variorum locorum dictatur pœna mortis: alia proportionata in linea collaterali. Si Incestus conjungatur cum matrimonio dolose contracto, statuitur confiscatio bonorum 31.): mitigatur tamen pœna, si obtenta dispensatione convalescat matrimonium. Levior pœna statui solet collateralibus solutis, inter se incestum committentibus: gravior autem, si delinquentes sint conjugati, quia adjungitur adulterium 32.): quamvis juxta aliquas Leges Incestus eandem pœnam habeat cum adulterio 33.). Universim sciendum est, vix posse aliquid certi statui de

30.) Cothmannus Vol. 3. Resp. 48. n. 18.

31.) Auth. incestas, C. de incest. nupt.

32.) *Si adulterium cum incesto committatur, cum privigna, nuru, noverca, mulier similiter quoque punietur.* L. 38. ff. ad Leg. Jul. de adult.

33.) L. 11. §. 1. Ibid. ubi sermo est de milite, qui sororis filiam in Contubernio habuit.

de pœnis hujus criminis ex legibus communibus, uti neque ex Constitutione Criminali Carolina, quæ se refert ad Leges Imperiales, & Jurisperitos consulendos monet: considerandæ igitur sunt Statuta Provinciarum.

In foro Canonico. §. 421. Jure Canonico omnes Incestuosi, vel qui incestas nuptias contrahunt, excommunicantur 34.). Clericus jubetur deponi, & decem annis pœnitere secundum jus antiquum 35.): recentiore jure in foro contentioso Clericus deponitur: post peractam autem pœnitentiam potest ab Episcopo restitui 36.). Id notandum, non fieri discrimen, an agnatio proveniat ex legitimis nuptiis, an vero ex illegitimo coitu: uti neque, an ex utroque, an solum ex alterutro parente conjuncti sint delinquentes. Intelligitur autem cognatio carnalis, non tamen Legalis aut spiritualis, quamvis etiam tales conjunctiones exigant gravem pœnam arbitrariam 37.).

§. 422.

34.) C. 9. XXXV. q. 3. Clement. un. de Consang. & Affin.

35.) C. 5. dist. 82.

36.) C. 4. §. de adulteriis. De Judiciis.

37.) Plura videantur apud FARINACIUM

§. 422. Singularis qualitas accedit incontinentiæ ratione personæ, ut sit sacrilegium: hoc nomine denotatur omnis violatio rei sacræ: hoc loco intelligitur *violatio personæ Deo dicatæ per votum continentiæ.* Unde fornicatio Religiosi professi & Clerici in Sacris constituti cum femina soluta, vere est sacrilegium: in foro tamen externo & contentioso haberi solet, ut simplex fornicatio. Aggravatur hoc crimen per continuatum Concubinatum 38.): vel si Clericus de facto contrahat matrimonium; cujus criminis pœna est, ut Clericus careat Officio & Beneficio Ecclesiastico, Presbyter deponatur ab ordine &c. 39.). *Sacrilegium*

§. 423. Præcipua species Sacrilegii carnalis est crimen commissum cum Moniali per castitatis votum Deo consecrata, cujus violatio habet etiam aliquam rationem adulterii & incestus 40.). In Legibus Civilibus plectitur *Cum Moniali.*

sacri-

quæst. 149. tit. 16. GRILLANDUM de pœn. coit. illic. §. *tertio videndum.*

38.) Modus procedendi in causis Clericorum concubinariorum præscribitur in Concilio Tridentino Sess. 25. c. 14. de Reform.

39.) C. 2. & 9. dist. 28.

40.) Vid. DECIANUS tract. crim. lib. 6. c. 20.

sacrilegus corruptor capitali pœna 41.), & bona ipsius applicantur Monasterio, ubi corrupta habitabat 42.): hodie relinquuntur hæredibus delinquentis. Jure Canonico Sacrilegus violator Monialis, Laicus excommunicatur, Clericus privatur Beneficio, incarceratur &c. 43.). Ipsa vero Monialis corrupta deberet detrudi in arctius Monasterium: hodie potius mancipatur carceri perpetuo ad agendam pœnitentiam.

Raptus violenti

§. 424. Aliam aggravantem qualitatem criminibus carnis adjicit violentus *Raptus*. Est quidam Raptus Rerum, de quo singulari titulo egimus: est Raptus personæ, animo eandem redigendi in servitutem, vel ex alia simili causa, qui vocatur *Plagium*: est Raptus matrimonii ineundi causa, de quo dictum, de Jure Rer. Eccles. Sect II. §. 339. Hoc loco, prout Raptus pertinet ad Crimina Carnis, intelligitur *Virginis, aut honestæ mulieris, vel etiam masculi violenta abductio de loco in locum libidinis exercendæ causa.*

Pœna.

§. 425. Jus Civile statuit supplicium capi-

41.) L. 5. C. de Episc. & Cler.
42.) Novell. 124. c. 43.
43.) C. 6. & 28. XXVII. q. 1.

capitis, & bona raptoris addicit mulieri raptæ 44.). Addit Constitutio Carolina 45.), pœnam Legum communium habere locum, etiamsi femina ipsa in raptum consentiat: maritus enim vel pater habebit accusationem criminalem, tum propter injuriam ipsis illatam, tum propter tranquillitatem publicam ejusmodi violento raptu violatam: pœna tamen ordinaria non facile infligetur illi, qui volentem & consentientem rapit, invitis etiam parentibus, vel illis, in quorum potestate est femina. Ad incurrendam pœnam requirunt aliqui, ut carnalis copula consummata sit cum rapta: melius dicitur, quod absque actuali coitu crimen jam sit consummatum per violentum raptum animo violandi castitatem. Mitigari tamen pœna posset, si raptor sponte abstinuisset a copula, pœnitentia ductus; secus si a vitio inferendo per accidens fuisset impeditus. Quid Jure Canonico de Raptoribus circa matrimonium cum rapta contrahendum statutum sit, alibi explicatum est, ubi egi-

44.) L. un. C. de raptu virg. seu viduar. L. 54. C. de Episc. & Cler.

45.) Art. 118.

egimus de impedimentis matrimonii. Quoad alias pœnas, raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant 46.).

Sodomia §. 426. Abominandam luxuriæ speciem constituit *Sodomia*, quo nomine intelligitur concubitus contra naturæ ordinem, si scilicet mas cum mare, femina cum femina, homo cum bestiis, vel cum diabolo concumbit, aut mas cum femina præposteram venerem exerceat. Quanta severitate Judices ejusmodi crimina persequi debeant, patet ex verbis CONSTANTINI & CONSTANTIS Imperatorum 47.) : *ubi sexus perdidit locum, ubi scelus est id, quod non proficit scire, ubi venus mutatur in alteram formam, ubi amor quæritur, nec videtur : jubemus insurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, vel qui futuri sunt rei.*

Pœna. §. 427. Ad pœnam ordinariam, secut

46.) Conc. Trident. sess. 24. c. 6. de Reform.

47.) L. 31. C. ad Leg. Jul. de adult.

cut in aliis atrociſſimis criminibus, ita etiam in Sodomia, non requiri aliam conſummationem operis, ſed ſufficere voluntatem & conatum actui proximum, tanquam verior & ſanctior opinio a plerisque traditur 48): Pœna autem ordinaria eſt mortis naturalis ſupplicium, & quidem juxta Conſtitutionem Carolinam vivicomburium, ſicuti Sodomitæ ipſi, a quibus hoc crimen nomen trahit, igne cæleſti abſumpti ſunt. Videmus autem hanc pœnam præcipue locum habere in delicto perpetrato cum beſtia, quæ ſimul ad deſtruendam facti memoriam comburitur: in aliis hujus criminis ſpeciebus dictari ſolet pœna gladii. Jure Canonico, qui deprehenduntur tali incontinentia laborare, *ſi Clerici fuerint, dejiciantur a Clero, vel ad agendam pœnitentiam in monaſteriis detrudantur: ſi laici, excommunicationi ſubdantur, & a cœtu fidelium fiant penitus alieni* 49.). Ex Conſtitutionibus

48.) Gaill de Pace publica lib. 1. c. 14. n. 26. Damhouderius prax. rer. crim. cap. 98. n. 16. ſeq. Farinacius quæſt. 148. n. 56. ſeqq.

49.) C. 4. de Exceſſ. Prælator.

Pii V.50.) Clerici essent tradendi Curiæ seculari, criminaliter puniendi, *ut qui animæ interitum non horrescunt, hos certe deterreat civilium legum vindex gladius secularis.*

TITULUS XXXIV.

DE EXECUTIONE SENTENTIÆ CRIMINALIS.

§. 428.

Executio Sententiæ

DE Sententia & ejus executione jam dictum est, cum in priori opusculo de Judicio Civili, tum in præsenti Tit. VIII. & passim alibi. Pauca addenda veniunt.

Fit in autorem criminis:

§. 429. Executio in Processu Criminali est satisfactio quædam, quæ fit per condemnatum, opera & ministerio publici executoris pro sententiæ jam latæ observatione. Si quis condemnetur ad mulctam pecuniariam, quam solvere non potest propter paupertatem; executio fieri non debet in bonis uxoris, patris, matris, fratrum

50.) Una Pii V. Constitutio refertur in libro septimo Decretal. lib. 5. tit. 16. c. 2. & habetur in Bullario Cherubini inter Constitutiones hujus Pontificis N. 5. altera N. 72.

trum aut aliorum de ejus familia, quia pœna non debet excedere ſuum autorem: qui igitur non habet in ære, luat in corpore. Si quis condemnatur ad mutilationem membri, e.g. manus, executio potius facienda eſſet in manu debiliore, ſcilicet ſiniſtra, etiamſi hæc eſſet arida, niſi ſententia nominaret manum dextram, qua forte crimen commiſit.

Mitius punitur filius per patrem delatus ad Judicem.

§. 430. Ad evitandam pœnam mortis ſuadent aliqui, ut filius, qui delictum ultimo ſupplicio dignum commiſit, non per miniſtros Juſtitiæ, ſed per patrem ducatur ad Judicem: putant enim, talem reum non poſſe pœna mortis affici 51.). Sed periculoſum eſſe hunc modum evadendi mortem, agnoſcunt paſſim alii 52.). Eodem modo viciſſim loquuntur de patre ad Judicem delato per filium.

Executio ſine gravi cauſa non eſt differenda.

§. 431 Executio ſententiæ ſine gravi cauſa non debet diu differri. Cum enim non concedatur Appellatio 53.),

51.) Deſumi hoc ſolet ex L. 13. §. 6. ff. de re milit.

52.) Vid. Jul. Clarus lib. V. ſent. §. fin. q. 60. Oldekop Caut. crim. lib. 5. caut. 1. Cæpolla Cautel. 1.

53.) Excepto caſu, de quo ſupra Tit. 8. §. 90.

fruſtra affligeretur Reus diuturno carcere, præſertim ſi condemnatus ſit ad mortem, quia longa exſpectatio mortis fere gravior eſt, quam ipſa mors. *De his, quos tenet carcer inclusos, id aperta definitione ſancimus, ut aut convictos velox pœna ſubducat, aut liberandos cuſtodia diuturna non maceret* 54.). Variæ differendæ executionis cauſæ paſſim aſſignantur. Sententia, qua condemnatur mulier gravida ad pœnam corporalem, vel etiam ad pœnam mortis, executioni non debet dari, niſi poſt partum. Nam ut matris per ſententiam peremptæ uterus ſecetur, & infans, ſi ſaltem ſit ſeptimeſtris, ad conferendum baptiſmum extrahatur, nimis inhumanum eſt 55.). Si Nobilis, vel in majore dignitate conſtitutus, vel de Republica optime meritus, vel artis alicujus inſigniter peritus ad mortem damnetur, executio deberet differri, donec cauſa referatur ad Principem. Si poſt ſententiam latam, indicia gravioris criminis, etiam ex confeſſione ipſius Rei præbeantur, executio differenda eſt, ſi ſen-

54.) L. 5. C. de Cuſtod. reor.

55.) Vid. Paulus Zacchias quæſt. Medico-legal lib. 9. tit. 2. q. un. n. 20.

sententia condemnet solum ad pœnam corporalem : si autem condemnetur reus ad pœnam mortis, frustra differtur executio pro pleniore informatione alterius criminis, nisi forte ex hoc detecto, gravia mala Reipublicæ impediri possent, uti Seditio &c.

Princeps habet jus aggratiandi;

§. 432. Executionem sententiæ impedire potest Princeps ex jure aggratiandi, quod illi competere supponimus, quamvis multi negent hanc potestatem Principis in iis criminibus, quibus statutam pœnam jure Divino legimus, quale est homicidium, adulterium, sortilegium &c. 56.). Id apud omnes certum est, jus aggratiandi tam caute, & moderate usurpari debere, ut Respublica ex impunitate criminum non patiatur damnum, & Princeps se non reddat participem eorundem criminum. Dum gravem indignationem ostendebat Rex quidam ob tertium homicidium a No-

56.) Carpzov. Jurispr. forens. p. 4. const. 9. def. 7. Berger Elect. Jurispr. Crim. in supplem. p. 2. observ. 100. & in disquisit. de pœna adulterii. Justus Oldekop Decad. 2. quæst. 1. ubi ostendit, quod Carpzovius circa hanc materiam sibi ipsi sæpius contradixerit.

bili quodam commissum, adstans Morio, unum solummodo homicidium a Nobili isto commissum affirmabat, reliqua duo a Rege, qui primum non puniviſſet morte. Homini ad scelera prono, & nondum emendato veniam dare, idem est, ac invitare ad plura perpetranda. Matrona quædam nobiliſſima preces apud Principem interposuit pro vita scelerati cujusdam servanda: annuit Princeps sub ea conditione, ut Matrona hunc hominem assumeret ad sua servitia, & aleret, simulque fidejussionem præstaret, eum ad priora scelera non rediturum: has conditiones matrona inire nec voluit nec potuit: & Princeps vitæ gratiam facere nisi sub istis conditionibus, nec voluit, nec se posse credidit.

Si gratia non habet locum, absque mora est procedendum.

§. 433. Si honestioris indolis & conditionis viri merentur gravem pœnam, sæpe eos Princeps punire, emendare, & reipublicæ utiles reddere potest per hoc, quod sentiant indignationem Principis, quod non permittantur aspirare ad aliquem honoris gradum, quod priventur quibusdam juribus honorificis, quod afficiantur aliqua ignominiosa pœna, qualis olim in-

ter

ter Germanos fuit κυνοφορια, qua milites nobiles gravium criminum rei, ignominiæ gratia, canem humeris per passus aliquot gestare cogebantur57.). Si tamen ob publicum scandalum sit severius agendum, præcipue circa crimina, quæ vel animum abjectum produnt, ut Assasinium, Veneficium, Adulterium, Calumnia, vel pravo exemplo alios cum pernicie Reipublicæ ad simile facinus excitant, ut sunt duella: in ejusmodi casibus nulla severitas nimia est, sed potius cavendum, ne publici supplicii dedecus desperato quodam consilio ab ipso reo, vel ejus consanguineis evitetur. Unde removeri solent omnia instrumenta, quibus uti posset reus ad vitam sibi eripiendam. Memorabile exemplum recenset MENOCHIUS 58.) de quodam ob grave crimen e furca suspendendo, quod ægre admodum ferens ipsius frater, optabat maleficum fratrem veneno necare, quod tamen diligens adhibita custodia impediebat. Impetravit tandem hic frater pridie, quam laqueo alter suspen-

57.) JACOB. ANDR. CRUSII Discursus Histor. de Κυνοφορια.

58.) De arbitr. Jud. lib. 2. cas. 285.

deretur, ut eum alloqui & deosculari saltem posset, quod obtinuit. Cum itaque osculari eum fingeret, ore illi obtulit pillulam pessimi veneni, quam maleficus ore excepit, bene intelligens, quid esset: atque ita dentibus fractam demisit, & nocte subsequenti vitam finivit. In tali casu posset Judex jubere, vita functum, vel laqueo suspendi, vel aliis ignominiis affici, quamvis alias in occisorum cadavera sævire non deceat.

Conceditur tempus pro præparatione ad mortem.

§. 434 Antequam sententia capitalis executioni detur, in multis Germaniæ Provinciis conceditur Reo, ut testamentum condat de bonis, quæ post compensata damna læsis illata, & expensas judiciales supersunt, exceptis reis criminum, quibus confiscatio bonorum est statuta. Ultimi dies impendendi sunt pro præparatione ad christianam mortem subeundam, admissis piis Sacerdotibus: administrantur Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ, non tamen extremæ Unctionis: sumpturus Eucharistiam solvitur vinculis, custoditur in honestiore cubiculo, liberaliore cibo recreatur: &

non

non solet ultimo supplicio affici eodem die 59.).

§. 435. Executio pœnæ capitalis fieri non debet in die feriato præsertim in honorem DEI 60.). Cum apud VALENTINIANUM delato periculoso crimine accusator urgeret, & Præfectus insisteret, respondit Imperator, *ut nihil cruentum sanctis præsertim diebus statueretur* 61.). Si non superfit ratio differendi executionem, damnatus ad mortem ducitur per loca consueta publica, & executio non fit occulte, aut in carcere, nisi gravissimæ rationes id exigant, uti metus seditionis, dignitas ad mortem condemnati. Siquis ultima die Executioni destinata, criminis, quod antea tam in tortura, quam ad bancum Juris confessus fuerat,

Dies opportunus statuendus:

59.) Quod Eucharistia non soleat dari damnatis ad mortem in quibusdam locis, notavi de Jur. rer. Eccles. sect. 2. §. 222. videri potest GUAZZINUS Defens. 38. c. 2.

60.) L. 12. ff. de public. judic.

61.) S. AMBROSIUS Conc. de obitu Valentiniani. Quid inter Theodosium Imperatorem & Ambrosium circa pœnam Thessalonicensium actum sit, legi meretur in vita Theodosii scripta gallice par M. FLECHIER fol. 402. seqq.

rat, reum se neget, monent aliqui, hanc non esse causam sufficientem differendi executionem 62.): alii mitius sentiunt, & acta novo examini Jurisconsultorum subjicienda censent 63.), quibus facile accederem, si condemnatus possit verosimilem rationem reddere, quod crimen confessus fuerit solummodo ex dolore & metu tormentorum, vel quod aliunde confessio illa fuerit irrita: absque ejusmodi verosimilibus indiciis plerumque præsumitur dolus ad differendam mortem inventus.

Et supplicium juxta sententiam consummandum.

§. 436. Si supplicium jam inferri cœptum, nondum autem, rupto forte laqueo, fracto ense consummatum sit, vel si quis combustis vinculis liberé ex flammis prodeat &c., volunt aliqui, talem casum præsumi debere miraculosum, & singulari Providentiæ DEI adscribendum, ut propterea reus sit liber dimittendus, præsertim si iste ante executionem publice se innocentem protestetur, & Deum invocet, ut ostendat suam innocentiam

62.) Carpzov. rer. crim. p. 3. q. 126. n. 63. seqq.

63.) Oldekop Decad. 2. q. 5.

tiam 64.). Sed nisi alia se prodant indicia, tam favorabilis præsumptio pro reo non nititur sufficienti ratione 65.). Id demum observari solet, ut modus executionis ob longam moram, & atroces dolores condemnatum non inducat in desperationem: unde damnati ad rogum solent prius strangulari, antequam comburantur, nisi forte omnino essent impœnitentes, & obstinati in crimine: his enim nulla esset spes salutis, de qua Judex posset esse solicitus 66.). Post executionem cadaver condemnati, si pœnitens obiit, sepeliri solet in loco sacro cum consensu Judicis, qui pro exasperanda pœna, vel ad terrorem aliorum potest jubere, ut cadaver maneat

ex

64.) Alciatus de Præsumpt. regula 3. præsumpt. 44. n. 4.

65.) Decius in L. favorabiliores. 125. (quam Decius ponit n. 167) ff. de R. J. Gomez Resolut. tom. 3. c. 13. n. 37. Ceteris latius hanc quæstionem exornat Lucas de Penna in L. 1. n. 24. seqq. C. De desertorib. lib. 12. ubi recenset varia exempla & argumenta in utramque partem.

66.) Covarruv. var. resol. lib. 2. c. 10. n. 9. in fine. Jul. Clarus lib. 5. sententent. quæst. 99. n. 7.

ex furca pendens, vel rotæ implexum, vel dissecti corporis partes in celebrioribus viis conspiciendæ suspendantur &c. Principes etiam solent providere, ut ejusmodi cadavera tradantur Anatomiæ in Academia instituendæ. Si aliqua constitutio vel Conventio discrimen facit inter eos, qui violenta, & qui naturali morte obeunt, Rota Romana decidit, suspensum aut capite plexum non dici mortuum violenter, sed naturaliter 67.).

Judex Ecclesiasticus potest degradatum tradere Curiæ seculari.

§. 437. Circa executionem per Curiam Ecclesiasticam, notanda præcipua est frequens mentio in Sacris Canonibus de Clerico Curiæ seculari tradendo. Explicationem hujus phrasis tradit INNOCENTIUS III. 68.), scilicet si Clericus ob flagitium grave & damnosum, accedente post iteratam admonitionem incorrigibilitate, fuerit degradatus, tanquam exutus privilegio Clericali, per consequentiam foro seculari applicetur, pro quo tamen

67.) SEBAST. GUAZZINUS defens. 38. c. 5. in fin.

68.) Lib. II. epist. 257: ex qua desumitur c. 27. de V. S.

men debet Ecclesia apud potestatem secularem efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententiam moderetur: conceditur itaque Judici seculari, ut adversus talem degradatum procedat, sicut adversus alium laicum 69.). Si itaque Judex Laicus non existimet ad pœnam capitalem procedendum esse, traditur ejusmodi degradatus, ut Curiæ seculari serviat, id est, ut sustineat onera municipalia, quæ olim erant valde gravia 70.). Sic Clericus, qui Episcopum suum accusaverit, aut ei insidiator extiterit, a gradu debet recedere, ac curiæ tradi *serviturus* 71.). Item *submotus a Clero, Curiæ tradatur, cui diebus vitæ suæ deserviat* 72.). An autem ad servitium vel ad pœnam trahatur, non determinatur: *Mox depositus Curiæ tradatur, & recipiat, quod inique gessit* 73.). Si autem causa degradationis mere pertineat ad cognitionem

69.) C. 7. de Crim. fals.
70.) L. quemcunque 39. Cod. Theodos. de Episc. & Cler. & Cod. Justin. eod. tit. Leg. 53. §. 1.
71.) C. 8. III. q. 4.
72.) C. 31. XI. q. 1.
73.) C. 18. ibid.

tionem Judicis Ecclesiastici, uti est causa hæresis, non permittitur ulterior cognitio Judici Laico, qui proin debet eum punire, ut hæreticum non toleratum.

Excommunicatio quando possit publicari?

§. 438. Excommunicatio non potest ferri, nisi præmissa competenti, id est, trina monitione 74.). Talis monitio non requiritur, si crimen sit notorium, & scandalum ex eo publicum. Sic S. Paulus excommunicavit incestuosum. Item monitio non requiritur, si excommunicatio infertur ab ipsa lege 75.). In hoc tamen casu deberet constare de contumacia ad hoc, ut excommunicatio, quam aliquis incurrit, publice promulgetur, & reus denuntietur, tanquam vitandus. Nam post Extravagantem Martini V. longe aliud est, incurrere excommunicationem a Canone statutam; aliud autem, nominatim denuntiari tanquam excommunicatum, cum forte jam paratus sit ad satisfaciendum.

§. 439.

74.) Juxta C. 45. & 48. de Sent. Excom. item C. 9. eod. in 6.

75.) C. 26. de Appellat.

§. 439. In Jure cautum est, ut *sententiam sanguinis nullus Clericus dictet aut proferat* 76.): unde dubitare videntur aliqui, an Episcopus Clericum condemnare possit ad pœnam fustigationis, & sententiam hanc exequi per laicos ministros, quia in fustigatione plerumque intervenit aliqua sanguinis effusio, dum cutis crebris verberibus laceratur. Alii tamen scrupulum omnem removent: nam non consideratur qualiscunque sanguinis effusio, quæ in tali casu principaliter non venit ex sententia, sed ex aliis circumstantiis accidit. Ea igitur pœna a Judice Ecclesiastico non debet infligi, ex qua principaliter & immediate sequitur sanguinis effusio, uti sequitur ex amputatione membri 77.). *Quænam dicatur sententia sanguinis Clericis prohibita?*

§. 440. Multa hoc loco notari possent circa executionem per Curiam Ecclesiasticam *implorato auxilio brachii secularis*: sed studiose abstineo 78.). Nam in nostra Germania Episcopi pleri- *De implorato auxilio brachii secularis.*

76.) C. 9. Ne Cler. vel Mon.

77.) Vid. Grillandus de Relaxat. carcerat. q. 5.

78.) Vid. Lopez de Salcedo Pract. Crim. cap. 154.

plerique, tanquam Principes Imperii, & Domini integrarum Provinciarum brachio pollent sat potenti; & id solummodo optant, ut per brachium seculare externum, in cujus territorio, Episcopali Jurisdictione fungi volunt, ab executione suarum sententiarum non impediantur. Claudimus igitur hunc tractatum, & monemus, animum nostrum non fuisse tradendi totum, qua late patet, Processum Criminalem, sed ea præcipue attingendi, circa quæ versatur Liber Quintus Decretalium, immixtis etiam multis, quæ ad forum seculare spectant, in gratiam Auditorum Juris Canonici in Academia Ingolstadiensi, qui utriusque fori præceptionibus imbui volunt. Cum autem hæc omnia intra arctos limites constringenda fuerint, opportunum videtur, ut adjiciamus Catalogum Autorum quorundam, qui consuli possunt.

Innumeri Autores scribunt de Judiciis Criminalibus. Inprimis omnes illi, qui Commentaria scribunt in Librum V. Decretalium, in Librum 47. & 48. in Pandect. in Librum 9. Cod.

Præterea pro foro Canonico serviunt

BARB. DIAZ Pract. Crim. quam anctiorem reddit IGNATIUS LOPEZ de Salcedo.

PEL-

Pellegrini Praxis Vicariorum.
Leurenii Vicarius Episcopalis.
Joan. Segura Directorium Judicum Eccles. Forl.
Circa processum contra Sagas, præter eos, qui nominantur ad Tit. XXI. de Sortilegiis, legi meretur Barthol. Spineus de Strigibus : Nicolaus Remigius de Dæmonolatria : Petrus Binsfeldius de Confessionibus Maleficarum.

De Regularibus accuratius scribunt

Octav. Spatharius de Incisa, de Modo corrigendi Regulares ; *hic Autor propria experientia sustinuit personam Judicis, & Rei Regularis accusati.*
Petri Mariæ Passerini Tribunal Regulare.
Paulini Berti Praxis Criminalis Regularium.
Anacletus Reiffenstuel ad Lib. V. Decretal. Tit. I. exhibet formam Proceſſ. Crim. apud Reg. sui Ord.

Pro Judiciis Secular. magnum nomen & usum habent

Tiberii Deciani Tractatus Criminalis;
Prosperi Farinacii Practica & Theorica Criminal.
Jodoci Damhouderii Praxis Rerum Criminal.
Julii Clari Liber V. Recept. Sent ubi Pract. Crim.
Joan. Henr. de Berger Electa Jurisprud. Crim.
Joan. Christoph. Frölich Nemesis Tyrolens.
Joan. Emerici a Rosbach Practica Crim.
Joan. Rudolphi Engau Elementa Jur. Crim.
Joan. Samuel. Frider. Boehmeri El. Jurispr. Crim.
Schweseri Proceſſ. Crim.
Bened. Carpzovii Pract. Rer. Crim.
Justus Oldekop contra Carpzov.
Ejusdem Cautelæ Criminales.
Ægidii Bossii Tractatus Crimina[illegible].
Tranquillus Ambrosinus de Proceſſ. Informat.
Hippol. de Marsiliis Practica Crimin.
Jacob. Bouricii Captivus, seu Enchiridion Defens.
Sebast. Guazzinus ad Defensam Reorum.
Flaminius Chartarius de Exec. Sent. Contumac.
Ludovici Gillhausen Arbor Criminal.

FERDINANDUS WAIZENEGGER de Maleficis. Tractatus Criminales variorum Autorum.

Qui scripserunt Consilia, semper immixta habent, quæ ad res Criminales pertinent. Integros autem Consiliorum Criminalium tomos ediderunt

HERMANN. ANT. DE CHLINGENSPERG.
PETRUS SCHILTENRERGER.
LAUR. ALB. VERLONNER.
FELIX ANT. L. B. DE WEITTENAU.
BARTHOL. CEPOLLA.
JOAN. BAPT. ZILETTUS variorum Consilia Criminalia duobus tomis collegit.

ORDO TITULORUM IN LIBRIS QUINQUE DECRETALIUM GREGORII IX,

Et

Tituli Institutionum Juris Canonici, Rubricis LL. quinque Decret. respondentes, ubi

Numerus Romanus indicat Partem: I. Præcognita Juris Canonici: II. Hierarchiam Ecclesiasticam: Pars III. & IV. de Jure Rerum Eccles. distinguuntur in Sectiones, quæ notantur litera S.: V. de Judiciis Eccles. Civilibus: VI. de Judiciis Eccl. Criminalibus. *Numerus Arabicus Titulum denotat.*

LIBER I.

Tit. I. De Summa Trinitate & fide catholica.	*Pars* I. 6.
II. De Constitutionibus.	I. 8.
III. De Rescriptis.	I. 16. IV. S. III.
IV. De Consuetudine.	I. 18.
V. De Postulatione Prælatorum.	II. 20.
VI. De Electione & Electi Potestate.	— 18. 19.

VII.